# AQVILA SANCTA, SIVE BAVARICA,

*ELOGIIS, HIEROGLYPHICIS, NVMISMATIBVS, INSIGNIBVS, SYMBOLIS, IMAGINIBVS ANTIQVIS*
*Ad viuum exculpta, & longá hiſtoriarum ſerie exarata.*

Vt nihil relictum ſit, quod priſci, vel hodierni habeant annales;

Sed diplomata, leges, indulta, genealogiæ, donationes, priuilegia offeruntur congeſta.

*Accedit tractatus Sacrolegalis, & Hiſtoricopoliticus, Hiſtoricis, Concionatoribus, I. Conſultis, atquè expolita eruditionis ſtudioſis perutilis, & neceſſarius.*


AVCTORE

IOANNE PALATIO

*I.V.D. in Veneto Gymnaſio Profeſſore Publico, &c.*






VENETIIS, *Apud Io: Iacobum Herz.* M. DC. LXXIV.

*SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.*

# SERENISSIMO PRINCIPI
# FERDINANDO MARIÆ
## VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI,
### *ELECTORI ROMANI IMPERII,*
*Comiti Palatino Rheni, Lantgrauio Leuchtembergenſi, &c.*

EVolat AQVILA (DVX SERENISSIME) nec inuenit requiem, niſi cum in Bauaria recumbit. Gentilium Romanorum Aquilam, Ciuilem Germania fecit, Bauaria Sanctam. Lilia cum perdidit, inter ſaxa receſſit, nec alibi poterat Aquila nidificare ſuperba. Phœnicis æmula, volens ſine ſemine repubeſcere, Bauariam eligit, vbi Sanctorum in gremio parturijt virginitatem. Parturiunt montes, naſcitur terribilis Sanctus; ſed cum in Bauarico ſolo ſata ſunt ſaxa: & de lapidibus ſemen Sanctorum ſuſcitauit Omnipotens. Quid itaque? Saxo, non Bauarus fuit, Claudus ille Henricus, quem cum reprobaſſent ædificantes, factus eſt tandem in caput anguli? Boius, Saxo, Perſa, Romanus ſi retrocedas ad Proauos, & paradiſi ciuis, in quo Summus Opifex protoplaſtrum plaſmauit. Natus ex Patre Bauaro, ex Auo Bauaro, quid conferunt in patrio ſolo, ſi Saxones ſint Ataui? Si recurramus ad Proauos, de Othonibus ſuis haud poterit ſuperbire Saxonia. Vnus eſt Orbis, ergo vna Patria, cum totum Orbem vnus propagauerit Pater. Liberi noſtri aquarum more ſortiuntur titulos: Proceſſu tumeſcunt, curſu Maieſtatem induunt, à ſolo quod alluunt habentes nomina. Duo generationis noſtræ principia, Pater, & Patria. Et ſi Patriæ maiora debeo, quàm patri; vnde Bauariam negabit Henricus, ſi eum Bauaria plantauit, Bauaria irrigauit, Bauaria incrementum dedit? nec Patriam, nec Patrem mentitur Sanctus. Loquela ſua manifeſtum facit. Patre Bauaro, Auo Bauaro, Saxoniam à longè reſpicit. Æquumq; erat, vt in Leones verteret equos, qui & dormientes excubarent ſuper gregem Domini. *Fundamenta eius* ſint *in montibus ſanctis*, Veritatem tamen eius veneramur in Bauaria Sanctorum. Henrici ne quæras in Orbe Progeniem, poſtquàm cum omnibus Sanctis vincula circumduxit affinitatis. Ab eo exorſa Bauaria Imperatorum geneſim, ſucceſſorem negauit Henrico, & ut ab opere quod patrarat, fatigata quieſceret: & quia Bauaris in delicijs non eſſet Imperium,

*Poſt Frãcos ad Saxones indè ad Bauaros euolauit.*

*Henrici S. annuitur patria.*

*Alluditur ad Inſignia Saxon. & Bauariæ.*

rium, ſed ſanctitas Imperatorum. Principum Religio, tutela eſt principatus. Si Angeli uiſi ſunt pugnare prò gentilibus regnis; quid Imperator Sanctus pro Patria? Bauaricæ Sanctorum phalangi Imperator datus, à militia cœleſti, ſacra inauguratur lancea, ut in ſplendoribus Sanctorum eluceret uocatus. Suis in caſtris ut & Virginum hybernaret chorus, nuptiarum in thalamo virginitatem locauit, quę è Bauarica aula numquàm recedens, tot Sereniſſimæ Familiæ tuæ Virgines centuriauit: numeris omnibus impleto Vaticinio. *Adducentur Regi* Henrico *Virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi* Ferdinando Mariæ. Si ſuper Cœlos itaque magnificentia tua, præteream Deos terræ, qui tuo grandeſcunt ſanguine: & annunciabunt Cœli iuſtitiam tuam. Dominus enim cum de Cęlo proſpexit ſuper filios hominum, unam uidens *Bauariam Sanctam*, inclinauit Cœlos, & deſcendit, ut ibi quieſceret gloria Domini, ubi portæ inferi non præualebunt. Hinc uiſibiles Bauaricum Stemma exhibet Angelos, ne uenerari dubitem huc traductam Hieruſalem ſanctam. Felix Princeps, cuius ſub Imperio Paradiſus exultat. Cuius in ſolo homines ueluti arbores in Sanctos exuberant. Cuius templa uidit hoſtis, ſed fugit; quia hic Domus Dei eſt, & porta Cœli. Ad Cœlum propero Serenitatis Tuæ, nec cuſtodes Angelos timeo, cum ſine gladio: forſan quia tibi dedère Iuſtitiæ gladium, ut Dei nomine regnares ad Religionis præſidium, ad Sanctorum cultum, ad hominum Pacem. Sereniſſimæ gratiæ tuæ nè ualuas claudas: ſi Cœlum nàmque uim patitur, & uiolenti rapiunt illud, Aduenæ fas erit, te etiam inuito, ingredi, & gloriari tanquàm

*Alluditur ad Henricum S. quum Lanceā ſacram arripuit de manu Epiſcopi. Coniugatus virgo moritur*

*Alluditur ad Angelū in Stemmate Bauarico.*

*Inter hæreſes quia ſtetit Bauaria.*

*Humilim. Deuotiſs. & Obſequentiſſimus Seruus*
Ioannes Palatius.

# LIBER XV.

## CAPVT PRIMVM.

# HENRICVS SANCTVS CLAVDVS

## OCCIDENTIS IMPERATOR XV.

1 *Sacerdotes eum tubis bellicis bellum annuunt à Cęlo initiandum.*

2 *& 29. Henricus S. militem armabat Euchariſtia, priuſquàm in bellum duceret. 4. Hieroglyphicum. 5. & 32. virgo moritur. 6. & 12. cur Claudus. 7. arripit inſignia imperij ab Archiepiſc. Colon. 8. imperium ei à S. Vvolfango prædicitur. 9. vxoris dotem pauperibus, & Eccleſijs erogat. 14. Boleslaos vincit. 15. Henricum Bauarum è vinculis dimittit, Epiſcopo concionante. 16. coram Epiſcopis genuflectit. 18. S. Romualdi oſſa defert ad tumulum. 19. Epiſcopatum ſororio negat. 20. Leges publicat. 21. Hungarorum Apoſtolus. 22. Benedictum Papam ſedi reſtituit. 23. 24. confirmat donationes Conſtantini. 25. vult ſymbolum in Miſſa cani. 26. Coronam donat S. Odiloni. 27. Monachos diuitijs ſpoliat. 28. Troianis parcit cōmotus puerorum precibus. 30. Infirmus liberatur à S. Benedicto.*

7 *Chriſti lancea.*

10 *Echardus imperio inhiat. Moritur.*

11 *Harduinus Rex Italiæ Henrici æmulus. 13. fit Monachus.*

21 *Giſela Henrici S. Soror nubit Stephano Hungariæ Regi, vt fiat Chriſtianus.*

25 *Romana Eccleſia cur in Miſsa non canat ſymbolum?*

33 *Bambergæ vaticinium.*

34 *Henricus II. Imper. ex oblatis muneribus Euangelium ſolummodò tulit. 35. Merita eius in ſtatera librantur. 36. Virginitas eius in morte cælitùs comprobatur. 37. Moneta.*

I. IN Hieroglyphico Henrici ne mireris Cæſari Sacerdotes præire clangentes bucinis militaribus, vt Ioſues Hebræorum duci mos erat. Sanctus enim Imperator cū numquàm militē in pugnā duceret, priuſquā viatico armaret Euchariſtico, Principes edocuit militarē teſſeram ſtare in manibus Sanctorum, & iuxta II. Sacerdotum choros figenda militum caſtra.

## ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

*Hic noua bella mouet precibus dū ſidera pulſat*
III. *Et trahit in partes aſtra ſuperna ſuas.*
*His acies vincit: validos his territat hoſtes:*
*His turres nutant, mœnia pulſa cadunt.*
*Ceu Hierichuntini quondam clangore Tubarum*
*Ad ſacros Muri cum cecidère ſonos*
*Fruſtra homines cogunt acies, armātq; phalāges*
*Victor erit Cælo, qui Duce bella gerit.*

P. Franc. à S. Auguſt. Macedo.



*Sal. An. 1002.*

# HENRICVS SANCTVS CLAVDVS.
## OCCIDENTIS IMPERATOR XV.

A Magnis Saxonum exorſa progenies
*Sanctum* aſſequuta
Romam dedignatur, cum Hieruſalem habet,
Et coniugata virginitas prolem fęcundauit ſanctitatis.
Orbi multos ſtrauit Saxonia lapides,
Sed vnum pretioſum.
Vt illum emeret, omnia vendidit;
Nam vno in *Claudo*
Sibi valuas clauſit imperij, Franconibus reſerauit.
Sanctitas, quæ *Magno* claudicauit in *Carolo*
*Claudi* currens *Henrici* pedibus
Volauit ſuper pennas ventorum.
Glorioſus Deus in ſanctis ſuis.
En nouus Iacob.
Sine pugna femur eius exaruit
Timens Angelus manus conſerere.
Somnia ne irrideas,
Ad Cœlum raptus rediјt ex itinere claudus.
Ne de æternitate claudicares.
Inſignia cum arripuiſſet imperij
Chriſti lanceam, quam Colonienſis tenebat Præſul,
Cuſtodientis vindicauit captiuitate,
Et Religionem ſacrilegio pandit.
Sanctum facinus,
Si haſta, quam Chriſti mulcivit ſanguis,
Aliter rapi non potuit.
Sancti ipſi properarent in furtum,
Ni mortalium eſſet, Redemptionis ſeruare myſteria.
Omnium itaque Angelorum cædi
Sacratiſſimæ lanceæ eſſet præferenda poſſeſſio.
Duas à magiſtro Vvolfango edoctus ſyllabas,
*Poſt ſex*
Imperij erant anni, mortis credebat ipſe dies.
Sciens poſtea, humili confeſſione remiſit
*Ignorantias meas nè memineris Domine.*
Chunegundem
Vxorem, nactus in Virginem,
Ne Virginem poſſet repetere in coniugem,
Sacrum diuortium dotis reſtitutione firmauit.
In Bambergenſem Epiſcopatum erigitur titulus,
Non minora dare poterat Imperatrix, cum Deo nuberet.
Ecquis non plaudit? leuit Epiſcopus.
Hic ſolus Iudæ potuiſſet vſurpare primatum.

V. *Nã in Hĕrico Ancupe capit, qui dictus eſt* Magnus.

*Romam i. Romanum imperiũ. Hieruſalem. i. beatitudinem æternam.*

VI. *Henricus claudicabat poſt viſionẽ cæleſtem ab eo habitam; vel poſt vulnus Papia acceptũ.*

VII. *Ex inſignibus imperij, quæ Hĕricus per vim arripuit; lanceam Redemptoris Colon. Epiſcopus clam ſurripuerat; Hanc vt redimeret, Epiſcopũ carceri dedit Henricus. An verò hęc lancea illa fuerit, quæ Saluatoris perforauit latus, in ſacris differant annalibus.*

VIII. *S. Vuolfangus duabus ſyllabis in pariete inciſis* Poſt ſex *imperiũ ei prædicit, nec ab Henrico intelligitur.*

IX. *Dotem vxoris erogat in erectione Epiſcopatus Bambergenſis.*

Imperium inter Regum, Ducum, & affinium procellas *Sal. Anno*
Ferè naufragum remeauit:

X. *Æmuli Echardus, & Arduicus Hẽrici.*

Quùm anchoram Henricus columnis alligauit Eccleſiæ.
Fremuêre Echardi, & Arduici furiæ,
Etſi vitam ille ſanguine,
Vitam iſte ſubmergeret flumine

XI. *Ad Meduacum Henricus Arduicum vincit.*

Inter Meduaci abſorptas Italorum phalanges,
Sola emerſit Arduici cupido,
Et ipſis flagrauit in aquis.

XII. *Papia obſidetur in palatio Henricus; quâ fugiens dicitur pede luxatus.*

Papiæ vſquè inundauit mœnia
Luxuriauit ſæpè, poſtquàm luxauit Imperatorem: 1005.
Sed ictò Henrico, victus cecidit Arduicus,
Quia antagoniſtæ pedem non manum preſſit.
Senſit Henricus furorem Populi

*Milites Henrici Papiam populãtur*

Sed Populus vindictam Sancti
Conuerſa in rogum regia.

XIII. *Poſt diuerſa prælia, Arduicus fit Monachus.*

Aufugit Rex:
Sed currentis, non miſerentis opus.
Seruat cuculla Regem, quia claudicat Imperator.

*Boleslaos Boemiæ alterum, alterum Poloniæ Reges vicit Henricus.*

Fama velocior Henricus
Vno pede præcurrens victor,
Quæ alatis pedibus excurrerat victum,
Duos in vno Boleslai nomine Reges deuicit,
Bohemum, & Polonum.

XIV.

Monitorem fidelem
Niſi ſyluæ dent, aula non habet

*Henricum Bauarum è vinculis dimittit Henricus Imper. ita ex ſuggeſtu ſuadente Godeſcalco Epiſcopo.*

Quis dicit? Veritas in vinculis.
Ergo Godeſcalcum non audijt. 1006.
Audijt, ſed coram Sancto.

XV.

Solus Sanctus poterat Sancto
Tyrannum deſcribere Regi;
Vt Henricus Henricum ſolueret.
Mundi Dominus

*In Synodo Francofurdienſi genuflectis coram Epiſcopis, ut ſibi liceret Bambergenſem erigere Epiſcopatũ.*

Templum aperire non audet, quàm clauibus Petri:
Et in Epiſcopos ſola lacrymarum arma dirigere.
Acurre tumide, cadit Orbis, ni fulcias.
Iam procidit Imperator? apage,

XVI.

Stat, cum procidit ante pedes Epiſcoporum.
Sanctiſſimis non fortiſſimis militibus
Adeſt Deus Exercituum.

XVII. *Henetos idolatrãtes ad fidem renocat Chriſti.*

Itaque Sacerdos, & miles
Dei cultor, & vltor
Cum Heneti dolo reuocaſſent Idola
Mortuam pietatem, mortibus impiorum ſuſcitans
Homo deportauit Deos,
Cæſar mulctauit populos,
Henricus oues ſacri paſtoris remiſit in caulam.
Diſce Sacerdos,
Arcæ ſuccollere humeros,
Non manum extendere.

Si

*Sal. Anno*

Si boues calcitrent, ne fides manibus:
Sola manus Domini confregit inimicos.
Sed vndè libitinarius feralia agit Imperator?
1007. Nonniſi Orbem ſepelit Imperator.
Minori habes Reliquias martyrum?
Romualdi cum oſſa repoſuit, caritatem eduxit.

*Corpus S. Romualdi defert ad tumulum.*
XVIII.

1008. Iure Sanguinis Epiſcopatum exigenti ſororio,
Ait Henricus:
Darem, ni *pretium Sanguinis eſset*.
Sacra, Religioſa, Sancta
Si nullius ſunt in bonis?
Vnde dexteram dabit homo, & ſiniſtram,
Quam affinibus Deus dare non potuit?

XIX.
*Athelber. fratrem Imperatricis, quia iuuenem immaturum in Epiſcopum eligere renuit.*

1009. *Iuſtitia, & pax deoſculatæ,*
Hanc vnam tulère legem,
*Fructus Iuſtitiæ Pax.*

*Leges publicat.*
XX.

1010 Hungarorum dicerem Apoſtolum
Cum Stephano Hungariæ Regi
Giſelam deſponſauit ſororem,
(Quæ Chriſti Religionem tulit in dotem)
Ni *Chriſtum Domini* Hungaria ipſa vocare malet,
A quo ſuum recepit Apoſtolum.

*Giſelam ſororem ſuam deſponſat Stephano Hungariæ Regi, ſed hoc pacto, vt Chriſtianus fieret.*
XXI.

Cum virgo concipit, Numina parit.
Quos non generat, regenerat Sterilitas ſancta:
Etſi non hominum, Beatorum numerum complet.
Poterat Henricus Chriſti propinare Sanguinem,
Cum illi Pontifex Benedictus
1012. Claues cuſtodiendas depoſuiſſet Eccleſiæ.
Et ſuper fidei petram, Petri timèret canere Gallus,
Niſi clangeret Cæſaris Aquila.

XXII.
*Benedictus Papa Roma profugus accurrit ad Henricū in Germaniam: & ab eo ſedi reſtituitur.*

Verè *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*
Cum Chriſti, & Latronum ſecernendo Cruces
Gregorium . . . . Benedictum
1013. Pſeudo relegauit, Pontificem adorauit.
Regicidis Burgundis,
Quibus pro patre tyrannus erat,
Impoſuit Regem.

XXIII.

Solus Deus regna transfert.
1014 Caroli, & Conſtantini
Ne fabuloſam diceres donationem.
Exarauit Henricus, confirmauit Cæſar, laudauit Sanctus,

XXIV.
*Confirmat donationes Eccleſiæ factas à Conſtantino & aliys Imperator.*

Romano ſemel diſſonauit in choro
Cum ſuper Petram intonuit Symbolum fidei.
Quaſi Petrus defeciſſet in Petra,
Quam in Petro ſolidauerat Chriſtus.
Roma iurauit ſemel, nec peierauit vmquàm.
Cur Petrum redarguit Gallus?
Nondùm petra erat Petrus.
Poſtquàm claues recepit Eccleſiæ,
Nec in eum poteſt Aquila Sancta.

XXV.
*Vult Symbolum à Romanis in Miſſa cani; licet non teneantur, quia Romana ſedes numquàm in fide defecit.*

XXVI. *Donat Coronam Abbati Odiloni.*

Diadematis vt alleuiaret pondus
In pauperes erogauit auxiliatores.

XXVII. *Monacos diuitijs ſuperfluis ſpoliat.*

Religionem
Quam inopem, copia fecerat;
Ne filia deuoraret matrem
Diuitijs exuit.
Nè pietatem in libidinem prouocarent.
Latino ſemel defuit

XXVIII. *Troianis rebellibus, ad quos Græci confugerant, puerorum clamore commotus parcit.*

Cum inter Troiana mœnia Græco pepercit
Et inter puerorum cecinit melos
*Miſereor ſuper Turbam.*

XXIX. *Non prius in aciē militem producebat, quam Euchariſtia ſatiaſſet.*

Non aliter ſolo pane ſaturaſſem militem in ſolitudine
Se excuſat Henricus.
Ergo de ſolo pane viuit homo?
Si ſit panis, qui de Cœlo deſcendit.

XXX. *Caſſini infirmatus liberatur à S. Benedicto; cui aureū pomum donauit.*

Egredientem Ilio aggrediuntur ilia,
Vt ad Sanctorum nundinas Henricum traherent.
Vbi à Diuo Benedicto
Pomo aureo lapides redimens pretioſos,
Non hybernauit in clauſtris, ſtatiua habens in Cœlis.
In procinctu cum eſſet,
è caſtris in clauſtra

XXXI. *Vuormacienſes Epiſcopum, & Abbatem ad pacem cogit.*

Pacem induxit armatam,
Vt cum diuitijs pugnaret Eccleſiæ.

*Vnà cum Cunegunde coniuge ſua virgo moritur.*

XXXII.

Quid poſſent coniuges in thalamo, aperuit in tumulo.
Coniugij fraude virginitatem ſacrauit.
Angelorum emulatus nuptias,
In vnitate conſenſus carnem diuiſit.
*Conſenſus non concubitus nuptias facit.*
*Coniugem meam* (inquit) *virginem accipite veſtram*
*Sponſam obtuliſtis, virginem reddo.*
Sterilitas ſancta
Nec ſimilem habens, nec ſperans habere ſequentem.
Saxum cum deeſſet cœleſti Hieruſalem,
Henricus euolauit vt poneret.

XXXIII. *Vaticinium Bamberga habet; vt cū in trutinam redierit lingula, quæ eſt ſuper ſepulchrum Henrici, ſinis ſit ciuitatis.*

Iuſtitia, & libra labellum claudit:
Cuius lingula cum in trutinam reclinauerit,
Bambergenſes?
Exitium cauete.
Sed cur mortuus fert libram, & librum?

XXXIV. *Inter munera illi oblata à Lothario Francorum Rege, tulit ſolum Euangelium. Ann. 1023*

Euangeliorum eſt liber.
Sine quo indecens erat Apoſtolo,
A legatione reuerti.
Apoſtolorum Viaticum eſt Euangelium
(Quod inter Lotharij munera ſolum tulerat Imperator.)
Libra;

XXXV. *Cum merita libra rentur Henrici, aſtitit dæmon, & videns ſe victum anſam fregit.*

Quia Dæmoni ſuſpecta Angelorum iuſtitia
Voluit ipſe æquipondia tractare;
Cum Henricus appenſus eſt in ſtatera,
Et inuentus eſt *omnia habens*.

Vel

Vel moriens hanc vnam tulit ſarcinam Zelotypiæ
Qua venientis coniugis pendéret virginitatem,
Quia diuortiſſet à mortuo.
*Mors non ſeparat, quos Deus coniunxit.*
Barbarus itaque Sanctus
Vxori negaſſet Sepulchrum,
Vt prius coram mortuis viuentem nudaret virginitatem,
Et quos in cinere foderat, carbones tractaret ignitos;
Ni viuorum, & mortuorum teſtis, & iudex
Silentium imperaſſet mortuis,
Inquiens
*Cede Virgini virgo locum.*

*In morte Cunegundæ audita de Cælo vox: cede virgini virgo locum.* XXXVI.

---

De Henrico S. Antiqua Mycilli Carmina.

*Hic Flandros, Leucoſq; domat, gentemq; Boemam.*
*Hic Italum Argiuo liberat hoſte ſolum.*
*Idem, & Pannonios veri præcepta Tonantis*
*Edocet, hic diuum nomen, & ipſe gerit.*

DE EODEM.

*Hic felix bello, vita caſtuſq; piuſque*
*In numero meruit Henricus eſſe Deum.*

---

# CATENA HISTORICA
## CAPVT SECVNDVM.

1 & 2. *Henrici S. origo. Bauarus non Saxo.* 5. *vbi natus.* 8. *Sanctus.* 99. *Apoſtolus Hungariæ, Claudus dicitur.* 9. *Ei curia apparet cæleſtis.* 13. *Cælitus ad Imperiũ vocatur.* 14. *Inſignia arripit jmperij.* 24. *ab Archiep. Mediol. eligitur Imperator.* 29. & 41. *Vngitur Rex Germaniæ.* 43. *Thuringis tributum remittit.* 44. *Rebelles muneribuſ placat.* 49. *Cruſim vrbem Henrici Comitis occupat.* 55. & 83. *Bambergenſem erigit Epiſcopatum.* 60. *Bauariam donat Henrico.* 63. *Ad Cluſas Ardoinum vincit.* 67. *Papiæ coronatur.* 68. *A Papienſibus obſidetur in palatio.* 70. *Papienſibus parcit.* 71. *S. Ambroſij Reliquias viſitat.* 72. *Thuſcos fæderatos recipit.* 73. *in Boliſlauum Bohemũ mouet.* 76. *Pragam ouans ingreditur.* 77. *An tradiderit Vdalricum.* 78. *Henricum Comitem liberat ſuadente Epiſcopo concionatore.* 79. *Diuinitus ab hoſtili telo protegitur.* 80. *in Synodo Tremonienſi queritur Eccleſiæ ſtatum corruptum.* 82. *Balduinum Flandrum vincit.* 83. *coram Epiſcopo flectit.* 85. *Monaſteria erigit.* 86. *imperium ei prædicitur.* 87. *B. Romualdi Corpus defert ad tumulum, ecquando?* 97. *Eccleſijs Imperialibus priuilegia indulget.* 98. *Oleo donatur.* 203. *Benedictum Papam protegit.* 104. *in Italiam vocatur.* 108. *Declaratur Aduocatus S. Petri.* 109. *Mediolani coronatur.* 110. *Ardoinum vincit.* 113. *leges publicat.* 117. *Romæ coronatur.* 119. *Ar-*

119. Arnulpham fratrem Epiſcopum delegit. 120. petit Symbolum in Miſſa cani. 121. Eccleſiæ factas donationes cōfirmat. 122. Nouarienſi Eccleſiæ donat. 123. Caſſinenſia priuilegia confirmat. 124. In Germaniam redit. 125. Spectacula prohibet. 126. Coronam Odiloni donat. 127. Valonem Abbatem voluptuoſum deponit. 128. Padebornenſe Monaſterium erigit. 129. Fuldenſes fratres ſuperfluis expoliat. 138. mouet in Heribertum Archiepiſc. Colonien. 139. Veniam precatur ab Heriberto Colonnienſi, flexis genibus. 140. mors ei prædicitur. 150. & 153. mouet in Græcos. 151. B. Romualdum honorat. 152. Amiati Abbatem deponit; Monaſterium Romualdo tradit. 156. Troadi parcit. 157. Pandulpho Capuæ principatum donat. 158. Caſſini infirmatur. 159. jlli S. Benedictus reuelat ſua oſſa. 160. munera S. Benedicto offert. 161. Sacra à Iudæis redimit. 162. Clauſtrum ingredi cogitat. 163. Conuenit cum Roberto Gallorum Rege de reformando Eccleſiæ ſtatu. 165. Ex muneribus librum recipit Euangelij. 166. Synodi Moguntinæ intereſt. 167. Vormacienſem Epiſcopum, & Laurishamenſem Abbatem ad pacem cogit. 168. Leges edit. 169. Conradum deſignat ſucceſſorem. 170. Obitus. 171. Eius geſta librantur ab Angelo, accuſante Dæmone, defendente S. Laurentio. 172. & 9. Cunegundem vxorem virginem reſtituit. 173. Cælica voce virgo declaratur. 175. Bambergæ ſepultus. 176. Iuſtitiæ ſuper eius tumulum vaticinium. 177. Epitaphium. 178. Ferè mille Eccleſias erexit. 181. In numerum Sanctorum refertur.

3 Benno Saxoniæ Marchio, & Luderus fratres.

4 Saxoniæ jnſignia, & Bauariæ.

6 Giſala, vel Egidia, vel Berthrada mater. 7. Eius Genealogia.

9 Chunegunda vxor Henrici virgo moritur. Effigies. 174. Ferro ignito virginitatem probat. 180. Epiſtola Chunegundæ ad Moniales.

10 S. Vuolphangus Henrici II. educator. 11. Dignitates prædicit Henrico S. fratribus, & ſororibus. 12. & 86. Imperium Henrico II. prædicit.

15 Heribertus Archiep. Colon. lanceam ſurripit imperialem. 16. Vinculis traditur. 137. Reconciliatur Henrico.

17 Hermannus aſpirat ad jmperium. 30. Effigies. 40. Henrico II. ſe opponit.

18 Ardoinus, vel Harduuigus ab Italis Rex ſalutatur. Effigies. Origo. 19. Petrum Vercellenſem Epiſcop. occidit. 25. Fœdus init cum Italis in Henricum II. 54. Germanos vincit. 62. Ad Cluſas Henrico ſe opponit. 64. A fœderatis deſeritur. 105. agrum Mediolan. populatur. 110. Vincitur ab Henrico II. 111. & 144. Monaſterium ingreditur an timore Henrici, vel Chriſti amore? 112. Comitatum petit ab Henrico. 141. Vercellas occupat. 145. Fructueriæ baſilicam, an fundauerit. 146. Ibi ſepultus. 147. Vt Rex ſepelitur. 147. Oſſa eius vt polluta, abſcondita. 148. Tumulo donata.

20 Arnulphus Archiepiſc. Mediol. origo. 21. Orator pro Othone III. ad Imperat. Conſtantinopol. 22. Ardoini electioni reſiſtit. 105. Henricum II. in Italiam vocat. 143. Hugonem Comitem vincit prælio.

23 Mediol. Archiepiſcopi priuilegium de eligendo Rege Italiæ. 142. in Epiſcopatum Haſtenſem.

29 Vuilligiſus Archiep. Mogunt. vngit Henricum II. 84. præſidet Synodo Francofurdienſi.

31 Theodricus Dux Lotharingiæ.

32 Egbertus Marchio Saxoniæ aſpirat ad jmperium. Excluditur. 33. Occiditur.

35 Henricum Auſtriæ Marchio tentat occupare Bauariam.

36 Ditmari hiſtoria qualis. 95. Epiſcopus eligitur.

37 Chronologia ſemper dubia.

38 Bolislauus Polonus Miſeconis filius Budiſsinam capit. 73.

39 Bolislauus Ruffus Dux Boiemorum fœdus fecit cum Henrico Auſtriæ Duce. 46. Suppetias fecit. 57. Bauariam populatur. 133. Henrico reconciliatur: Odam ducit.

42 Henricus Comes Bertholdi filius cum Hermano fœdus fecit in Henricum II. &

cur?

*cur? 47. frater Buconis, maritus Gerbergæ. 51. ad Boliſlaum confugit. 52. Eila eius mater. 59. pœnitens cuſtodiæ traditur. 78. liberatur 96. rebellat.*
43 *Vuilhelmus Turingus.*
45 *Bruno frater Henrici II. rebellat. 58. confugit ad Hungaros. 61. reconciliatur.*
48 *Erneſtus Henrici filius capitur.*
53 *Giſilerus Archiepiſcop. iubetur renuntiare Archiepiſcopatum.*
56 *Deoderieus Metenſium Epiſcopus frater Chunigundæ in ſororium rebellat.*
65 *Tiedaldus Marchio ab Ardoino deficit gratia filij Henrici II. 88. obitus.*
66 *S. Vuilhelmus Ardoini nepos ab Ardoino deficit.*
67 *Facius Platus, & Plato de Platis, & Eliprandus pugnant prò Eccleſia Romana. Effigies.*
69 *Giſilbertus Chunigundæ frater occiditur.*
74 *Iaromirus fidelis Henrico II. 75. mittitur Pragam occupatum. 77. inuocatione S. Io: Baptiſt. inter hoſtium tela euadit innocuus.*
77 *Boleslaus Bohemus exoculatur à Bolesłao Polono, Vdalricus an traditus ab Hērico II.*
78 *Godeſcalcus Epiſcopus ſuadet Henrico II. liberare Henricum Comitem.*
81 *Balduinus Pulcra Barba mouet in Henricum II. Effigies reconciliatur.*
84 *Henricus Epiſcopus Vuirciburgenſis obſtat Henrico II. Imperat. nè Epiſcopatum erigat Bambergenſem; cur?*
89 *Bonifacius Thedaldi filius. Effigies.*
90 *Athelbertus ſororius Henrici II. ad Archiepiſcopatum non admittitur. 91. Rebellat.*
94 *Burcardus compilator Canonum, diſcipulus Olberti Abbatis.*
98 *Io: Creſcentij filius oleum è terra ſcaturiens Henrico II. mittit.*
99 *Giſla ſoror Henrici II. nubit Stephano Hungariæ Regi, ſi fiat Chriſtianus. Ecquando. Effigies.*
100 *Hungari quando ad fidem Chriſti venerint? 134. priuilegia.*
101 *Bauenbergenſis Eccleſia conſecratur.*
102 *Benedictus Papa ad Henricum II. confugit. 134. Germaniam petit, Bambergenſem conſecraturus Epiſcopatum. 136 vt Henricum in Græcos ſeduceret.*
106 *Benno Dux Saxoniæ moritur.*
107 *Bernardus Bennonis filius inſolens ab Henrico II. rebellat.*
112 *Hugo Ateſtinus cum filijs vincitur ab Henrico II.*
114 *Pacis turbatores quomodo puniendi?*
115 *Clericus alienus non ordinandus.*
116 *Parricidij pœna.*
118 *Pomum aureum imperij ſignum.*
120 *Symbolum Apoſtolorum cur Romana nō canat Eccleſia?*
130 *Erneſtus Dux Alemaniæ in venatione occiditur. 131. militi peccata confitetur.*
133 *Oda EKhardi filia Boliſlao nubit.*
136 *Pandulphus Capuanus ad Græcos deficit.*
144 *Ardericus Aſtenſis Epiſcopus à quo electus.*
149 *Normannorum virtus in Sarracenos.*
154 *Belgrinus Capuanum Principem in deditionem accipit. 155. pro eo intercedit apud Henricum II.*
163 *Rotberti Gallorum Regis colloquium cum Henrico II. Effigies.*
164 *Præcedentia Regū quomodo concilianda.*
166 *Synodus Moguntina.*

# DE ORTV HENRICI SANCTI.

1. HEnricus Bauarus, Othonis I ex fratre *Henrico* cognomento Rixoſo pronepos fuit in tranſuerſali. Henrici verò Aucupis in recto. *Nam Henricus* (ait Krantzius,) *frater Magni Othonis genuit Henricum, & Brunonem filios. Henricus patri ſuccedit in Bauaria. Bruno rediit in Saxoniam, & ibi parte ditionis illi permiſſa, tenuit Melverode, & Hogenuorde, titulumq; ſumpſit vt Marchio Saxoniæ diceretur, quando titulum Ducatus Saxoniæ teneret Hermannus, & filij eius. Hic Bruno genuit filium Brunonem, qui ex relicta Lupoldi Ducis Sueuiæ, quæ erat filia Principis de Vuerle, & peruenit poſtea ad nuptias Conradi Imperatoris: Bruno, inquam, ſecundus ex hac coniuge genuit Ludolphū Marchionem Saxoniæ.* An Saxo, vel Boius fuerit, quærere ſuperfluum duco. Bauariæ enim II.

Saxon. l.4.c.27.

natus,

natus, ex patre Bauaro, ex Auo Bauaro, quid conferunt in patrio ſolo, ſi Saxones ſint atauí? Si propria, & patris natiuitas non ſufficit, vt à proauis noſtris patriam ſortiamur diuerſam; nec Bauarus erit Henricus, ſi eius geneſim à Magno Carolo ducas. Vno namque ſatisfaciam verbo, vnus eſt orbis, ergò vna patria, cum totum Orbem vnus propagauerit pater. Liberi noſtri aquarum more ſortiuntur nomina. Proceſſu tumeſcunt, curſu maieſtatem induunt, & à ſolo, quod alluunt, Italicas, vel Africanas dicimus. Boio ortum patre, imo & Auo Henricum nemo dubitat, itaque Bauarum neceſſariá ſupponit illatio. Superabundare propterea duco ſequentem Henrici S. Genealogiam à Matthæo Radero contextam.

*In Bauaria Sancta in vita S. Henrici.*

III. Arnulphus Comes, Arnulphi Cęſaris Præfectus militiæ in Nordmannico bello

Luitboldus Princeps, & Auſtriæ tetrarcha

Arnoldus malus — Bertholdus Princeps Norici, & Carinthiæ

Juditha vxor Henrici Saxonis — Bertholdus Princeps

Henricus Princeps

Henricus Princeps Noricorum, & Carinthię

Henricus S. Imperator

IV. Nam, ſiue Natalia habeat ab Arnulpho Comite Præfecto militiæ ſub Imperio Arnulphi Cæſaris, ſiue ab Henrico Aucupe, ſemper Bauarus eſt. Nec vim facit Saxonia cum proauis ſuis; nam ſi ad proauos recurramus, de Othonibus ſuis haud poterit ſuperbire Saxonia. Argumentum quod ab Henrici Sancti inſignibus Raderus deducit, placet, & conuiceret, ni plurima mutata Regum obſtarent inſignia; & gentilitia antiqua obſoleta langueſcerent. Henricus Auceps (arguit Raderus) Imperator in media Aquila ſignum geſtauit Vvitikindæum, equum ſcilicet exultantem. Henricus Sanctus Aquilam cum rhombis, ſine equo, vt in Babenbergenſibus monumentis videtur.




Idem Archiepiſcopi Treuirenſes, & Moguntini è Saxonum ſtirpe oriundi factitarunt, cum ad crucem Treuirenſis equum: eundem Moguntinus ad rotam adiungebat. Bruno verò Auguſtanus antiſtes, germanus S. Henrici rhombos cum Auguſtani Epiſcopatus inſignibus coniunxit, non equum. Adiunge, ſi Otho Magnus inſignibus licet adiunxerit rhombos, equum tamen gentilitium haud prætermiſit, cum iure poſſet,

noua

noua excogitando inſignia, quæ poſteris ſui memoriam recolerent. Cur prætermittenda eſſent ab Henrico inſignia illa, in quibus Othoniani virebant triumphi, arcanum non habeo.

V. Locus etiam natiuitatis non ſine dubio: Ratiſponæ natum dicit Fabricius, ſed *Abudiaci* Auentinus narrat. Vicus eſt, & Caſtrũ ſupra Ratiſponam millia paſſuum decem ad ripã Danubij, Ann. Sal. 972. prid. Non. Maij.

VI. Eius mater *Giſela* fuit, quam alij Egidiã, alij Berthradam nominant; filia Conradi Ducis Burgundiæ ex Caroli Magni proſapia, vt indicant de Giſala verſus (mihi ſemper dabij, quia tribus Giſalis communicati) & Giſelæ, Giſalæ, ac Giſlæ nominã confuſa legantur.

*Quando poſt decima numeratur linea quarta*
*De Carolo Magno proceſſit Giſala prudens.*

Hanc nonnulli venientis Imperatoris Conradi coniugem faciunt. Certum tamen regio ortam ſtipite vxorem Henrici Sancti, vt Ditmarus cęcinit.

*Henricus ſcandit, poſtquàm puerilia vicit,*
*Ardua virtutum, natus de ſtemmate Regum:*
*Huic pater Hẽricus Dux, & genitrix erat eius,*
*Giſla ſuis meritis æquans veſtigia Regis*
*Conradi Patris Burgundiæ regna tenentis.*

Eius genealogiam ex Hieronymo Henninges deducimus, & ſequens eſt. VII.

## Burgundiæ Tranſuirenſis vel Nouæ Reges.

### Hugo Abbas ex Caroli M. proſapia Ducatum Aurelianenſem, ſiuè Ligurinum tenuit

Conradus Statlingenſia Comes Tranſuirenſis Burgundiæ Anglicis trophæis clarus: ideò à Galliæ, vel Prouinciæ Regibus agrum ad Geneuam, Loſannam, S. Mauritium, & Pagaunum ſine dubio impetrauit: pulſa Gerhardi Roſſilonenſis, quem Carolus Rex Prouinciæ ad S. Quintinum profligarat, ſtirpe, & (vt Viguierus coniectatur) Hugobertum interfecit A. C. 864.

Rodulphus I. Rex Iurenſis Burgundiæ, vel Ciſalpinæ Galliæ electus A. C. 888. poſt Caroli III. Imper. cognom. Craſſi depoſitionem. Sedem Regni ad Arelatum in agro Prouinciæ poſuit, vnde & poſteri Arelatenſes Reges nominantur, parueruntq; ipſi tota Heluetia, Vehtlandia, Briſgoia, Surgoia, Cremerlandia, Ferretta, Mompelgardia, & pars Sabaudiæ, quod malè habuit Arnolphus Imperator, qui ideo bellum huic intulit per Zuuentebaldum filium Ducem Lotharingiæ. A. C. 894. ſed aſperitate locorum tutus, ſua ſibi eripi non eſt paſſus. Obijt A. C. 911. 8. Kal. Decemb. Vxor Adelais, vel Hedvvigis filia ErKenbaldi Habsburgenſis.

Rodulphus II. Rex Iurenſis Burgundiæ Lanceam, qua Chriſti latus confixum fuiſſe putabatur Henrico Aucupi Imperatori miſit, & portionem quandam Sueuici Ducatus ſibi conterminam ab eodem recepit. Victus à Burcardo Sueuiæ Duce ad Vvintertyrum. Berengarium primum prælio victum Italia fugauit. A. C. 922. Secundo vero Italiam ingreſſus contra Hermingardem, eius vt ſcorti amore captus, exercitum deſeruit, ac ab Hugone Rege, Italia pulſus eſt A. C. 925. obijt Altiſſiodori à vermibus exeſus apud Senones in D. Columbæ Baſilica ſepultus A. C. 936. cum fundaſſet Einſidelenſe, & Peterlingenſe cœnobia. Vxor Bertha filia Burcardi Sueuiæ, vel Alemanniæ Ducis, hoſtis quondàm ſui, quo coniugio diſſidium inter hos ſublatum eſt: Hæc Paterniacenſe in Nuitlandia Monaſterium condidit

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Conradus Rex Iurenſis Burgundiæ patri adhuc puer exiſtens ſucceſſit. Othonem I. Imp. in Gallica expeditione ſecutus A. C. 946. Epiſcopatum Geneuenſem, & Lauſannenſem fundauit. Obiit An. C. 990. Vxor Mactildis filia Ludouici Tranſmarini Regis Franciæ ducta A. C. 967. Hæc ipſi in dotem attulit Lugdunum, Viennam, & Arelatum. | Burcardus Epiſcopus | Rudolphus Dux cui portio Regni Iurenſis conceſſa fuit. Ob vitæ continentiam in numerum diuorum relatus. Vxor Beatrix Comit. Friburgenſis in Briſgoiæ, S. Romari Monaſterii in Cluniaco locupletatrix cum marito in Paterniaco humata. | Boſo Arelatenſis Comes, cui nupta fuit Bertha filia Boſonis Marchionis Thuſciæ. | D. Adhelcidis nupta 1. Lothario filio Hugonis Regis Italiæ. 2. Othoni I. Imperat. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Conradus obiit ante patrem | Rudolphus III. ignauus Rex Iurenſis Burgundiæ, qui moriturus A. C. 1032. teſtamento inſtituit hęredes Regni Conradum II. Imp. Saliquum cognomento Sororium ſuum, eiuſque filium Henricum III. Imp. cui lanceam S. Mauritii, vt inſigne vel teſſaram traditi Regni tranſmiſit, ſepultus apud Paterniacum. Nati ſunt ipſi ex Hermentrude coniuge nulli. Ex Adeltrude pellice | Giſala vxor Henrici Hezelonis Ducis Bauarię, de hac Giſala, quam alii Egidiam, alii Berthradam nominant, extant verſus. Quando poſt decimam numeratur linea quarta de Carolo Magno proceſſit Giſela prudens. | Bertha nupta Otthoni, vel Eudo I. Carnutum, & Cãpanię Comiti, qui Conrado II. bellum inferens victus eſt. Deinde in prælio contra Gothelonem Ducem Lotharingiæ occubuit. Ann. C. 1037. | Gerbirga vxor Hermann. Ducis Franciæ. |

| | |
|---|---|
| Vdo Archiep. Arelat. | Hugo Lauſanenſis Rudolphus Præſul. |

Sal. Anno 1002.

### *APPELLATIO.*

VIII. HEnricus huius nominis II. (licet plurimi dicant Primum. Henricum *Aucupem* Imperatorum nõ recenſentes in albo ad Regũ, quia coronationem non receperit.)

Cognomento dicitur *Sanctus* ex ſingulari religione, & pietate. Vnde, & Hungarorum Apoſtolus appelletur, quia illis auctor conuerſionis fuerit.

*Claudus*, vel quia *ante acceptam benedictionem, in Italica expeditione captum ab hoſtibus: ſed illuſiſſe capientibus, vt ex arce qua teneretur, deſiliens coxam laſerit; vnde per reliquum tempus claudicarit. Certum eſt quod in Papia expertus à ciuibus tumultum, quem armis magno ſuo periculo ſedauit, ibi poterat in palatio aliquandiù obſeſſus, in crure ladi. Nam quod captus in carcere teneretur, & elaberetur, difficile eſt creditu*. Refert Krantzius.

Saxon. l.4.c.32. Vel cum Henricus pro more (inquit Nauclerus) nocturnis horis precandi gratia, Gener. 34. Templum D. Mariæ ſacrum, Romæ, ingreſſus fuiſſet, viſus ſit Chriſtus pontificalibus indutus procedere Miſſam celebraturus: quem ſequebatur Sanctus Laurentius, & loco Subdiaconi Vincentius: poſt hos, Virgo Dei genitrix, cum multitudine Virginum, & Angelorum: dehinc Ioannes Baptiſta, cum Patriarchis, & Prophetis: poſt hos, Petrus, & Ioannes cum cæteris Apoſtolis, & Euangeliſtis, S. Stephanus cum martyribus, S. Martinus cum Confeſſoribus, Angeli inceperunt introitum *ſuſcepimus Deus miſericordiam*, & dum cantaretur. *Dextra tua plena eſt Iuſtitia*, omnes, Chriſtum, & B. Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Poſt Euangelium indicibili iubilo Angelus librum deoſculatum à Chriſto preſentauit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem, deoſculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiã Henrico ad oſculandum dicens. *Prabe ei pacis oſculum, cuius mihi virginitas placet*, & cum præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere; Angelus, ipſum in neruo tangens, dicit: *Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei, propter tuam caſtitatem, & Iuſtitiam*, & exinde vſque ad mortem claudicabat, ex quo euentu vocatus eſt Henricus Claudus.

### *VXOR.*

VXorem habuit Cunigundam, caſtiſſimam fœminam, & pudicitiæ ſtudio IX.
celebrem, filiam Sigefridi, Palatini ad Rhenum. Ex Franconica ſtirpe oriunda dicitur Cunigunda. Nam eius pater Sigefridus dicitur fuiſſe pronepos Ludouici Francorum Regis, ex matre Cunigunda, & Auia Hermendruda. Ex hac coniuge nullam tulit ſobolem, vterque vigil, vt in thoro matrimoniali ſanctam fæcundarent virginitatem.

## S. VvOLPHANGVS HENRICI EDVCATOR
Illi Imperium prædicit.

X. HEnrici educationem S. Vvolphango Ratiſponenſi Epiſcopo commiſſam Lib. 5. apud *Ditmarum* teſtem legimus omni exceptione maiorem. Perlegas carmina.

*Nutrit præclarum Vvolfangus præſul alumnũ*
*Qui ſequitur Dominum toto conamine Chriſtũ.*

XI. Inter chariſmatum dona huic Sancto collata, Prophetia fuit. Vnde cum ad Vvolphangum *ob impertiendam* (vt ex eorum temporum Auctore Baronius deſcribit) *benedictionem* (*vt crebrò ſolebat*) *adductus eſſet, ſpecioſiſſimam eius prolem Henricum, qui poſtea Dei nutu factus eſt Imperator, Regem appellauit: fratrem eius Brunonem vocauit Antiſtitem, ſororem eius natu maiorem Reginam, minorem quam ipſe baptizauit, & de ſacro fonte ſuſcepit, Abbatiſſam nominauit*. Poſt mortem iterum Henrico S. apparuiſſe Vvolphangum in ſomnijs, vt illi coronam imperialem præluderet, inferiùs dabimus ſub An. Sal. 1006. XII.

Sub An. 1002.

Porrò ſi quempiam diuino præordinante XIII.
præcepto euectum ad imperiale dicimus faſtigium, *Henrici pietatem* (ait Ditmarus) Lib. 5.
*ſumma præordinatione in regnum electi, conor retegere. De quo poſt mortem Imperatoris cuidam venerando patri reuelatione diuina ſic dictum: Recordaris frater, qualiter cecinit populus: Domino nolente, voluit Dux Henricus*

*regna-*

Sal. Anno 1002. *regnare, nunc autem debet Henricus diuina prædeſtinatione Regni curam prouidere, omniaque, quæ ad diuina, vel humana pertinebant. Hunc igitur præ ceteris ſibi tunc contemporalibus, nollent, vellent, ad Regnum promouebant.*

## INSIGNIA IMPERII HENRICVS OCCVPAT. *Sal. Anno* 1002.

XIV. QVo Anno vacaret Imperium 1001. vel 1002. non vnà ſentiunt Hiſtorici. Menſe Ianuario deceſſiſſe Othonem III. non diſcrepant: propterea cum annum ab Incarnatione, quæ Martio menſe contingit, multi deducant: à Natiuitate alij, mēſe nempe Decembris; inde & 1001. & 1002. deceſſiſſe Othonem veritas patitur. Othone itaque III. in Italia extincto, corpus eius aromatibus plenum in Germaniam pij detulere ſubditi Duce Heriberto Archiepiſcopo Colonnienſi. Obuiam fit Henricus Bauariæ Dux, ſingulos rogans, *vt ſe in Domi-*
Lib. 4. p. 44. *num* (vt ait Ditmarus) *ſibi ac Regem eligere voluiſſent, multis promiſſionibus hortatur, & corpus Imperatoris cum apparatu imperiali,*
XV. *lancea duntaxat excepta, quam Heribertus Archipræſul clam præmittens, ſuam ſumpſit in poteſtatem, habet honorifice. Archiepiſcopus autem cuſtodia parumper detentus, relicto ibi*
XVI. *prò vadimonio ſuimet fratre, cum licentia abijt, ac ſacram mox lanceam remiſit. Is cum omnibus, qui huc Imperatoris funus ſequebantur, excepto antiſtite Sigefrido, Duci tunc non conſentiebat, neque omnino denegabat, ſed quo melior, & maior populi totius pars ſe inclinaret, libenter aſſenſurum pronuntiabat. Dux verò cum bis Auguſtanam attingens vrbem dilecti ſenioris inteſtina duabus lagunculis prius diligenter repoſita, in Oratorio S. Præſuli Othelrici, quod in honorem eius Luidulphus, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus conſtruxit, in Auſtrali parte Monaſterij Sanctæ martyris Afræ, ſepulturæ honorabili tradidit, & ob animæ remedium ſuæ centum manſos propriæ hereditatis conceſſit. Deindeq; dimiſſa cum pace magna multitudine, ad ciuitatem ſuam, quæ noua vocatur, corpus Cæſaris proſequitur. Poſteaque ab æquiuoco ſuimet Henrico, cuius ſororem viuente Imperatore iam duxit, ſuppliciter exoratus, tandem corpus, valedicens ſingulis, ad loca deſtinata dimiſit. Interim Principes Saxoniæ, comperta ſenioris ſui nece immatura, ad Fraſam, curtem regiam, quam tunc Guncellinus Comes ex parte Imperatoris in benefitium tenuit, triſtes conueniunt; Giſilerus Archiepiſcopus Magdeburgenſis cum Coepiſcopis, Bernardus Dux, Lutharius EKKihardus, ac Gero Marchiones cum optimatibus Regni, de ſtatu Reipub. tractantes. Comes autem Lutharius, vt pro primo perſenſit EKKihardum ſe velle exaltare ſuper ſe Archiepiſcopum prædictum, & meliorem procerum partem, in ſecretum foras vocauit colloquium, hoc omnibus dans conſilio, vt iuramento firmarent, ſe nullum ſibi dominum, vel Regem communiter, vel ſingulariter electuros, ante conſtitutum in Vverle colloquium. Quod ab omnibus laudatum, excepto EKKihardo, & collaudatum;* Coloniæ poſtea ſolemniter perſoluto funere *maxima pars procerum* (ſubiungit Ditmarus) *qui his* XVII.
*interfuerunt exequijs, Hermanno Duci auxilium promittunt ad regnum acquirendum, & tuendum, Henricum mentientes ad hoc non eſſe idoneum, propter multas cauſarum qualitates. Longobardi autem audito Imperatoris diſceſſu, de futuris nil ſolliciti, neque de dignis pænitentiæ fructibus cupidi, Harduuigum* (Ar- XVIII.
duinum, vel Ardoinum Itali vocant: Harthuinum Epidannus) *ſibi in Regem elegerunt, deſtruendi potiùs gnarum artis, quàm regendi.* Quomodò verò Itali tot cladibus afflicti, libertatem vindicare præſumerent Sigonium Lib. 8. de Regn. It.
conſule;

*Othonis morte comperta, priſtinus repentè de recuperando Regno in Lombardia tumultus, ac vetus ſeditio renouatur. Eius initium ab Ardoino, Dodonis filio, Eporedienſi Marchione profectum eſt. Is æquum eſſe exiſtimans, Ottone tandem ſine filijs, & ſine legitimo herede regni defuncto, ſplendidiſſimum regiæ dignitatis, atque Imperatoriæ titulum, quem Germani per annos quadraginta continuata in eadem familia dignitate tenuerant, denuò ad Italos antiquo hereditatis iure recidere, omnes Italiæ principes adit, atque eis auctorem ſe ad vetus recuperandum decus profeſſus, pleroſq; in ſuam ſententiam, propriæ laudis dulcedine ca-*



ARDOINVS DODONIS FIL. DESIDERI NEP. ITALOR. VLT. REX ET IMP. ELECTVS.

*ptos, adducit. Itaque conuentu ſuper ea re Pa-*
*pia, antiquo Longobardorum more, indicto,*
*frequenti conſilio,* Laicorum ſcilicet, & Sacer-
dotum vt adnotarunt Iacobus de Strada, &
Puteanus: *conuocatis Vrbium finitimarum*
*Principibus, & Sacerdotum primoribus,* hu-
cuſq; Putean. *Rex Italia* (Sigonius pergit)
*vt creetur omnium conſenſione decernitur. Nec*
*dubium fuit, quin Ardoinus ipſe conuentus au-*
*ctor conſentientibus Principum ſuffragijs lege-*
*retur, idemq; extemplò regijs inſignibus orna-*
*retur.* Facilè fuit Ardoino Italos ad ſe tra-
here ob regij generis ſplendorem, & mili-
taria facinora, quibus inter Principes emi-
XIX. nebat. Viuente namque Othone III. à quo
inter cæteras donationes Vercellenſis Epi-
ſcopus (ſpoliato Ardoino,) Ardoini Marchio-
natu donatus fuerat, non ſolum ſua vindica-
uit Ardoinus, ſed etiam ſacrilega manu, Ver-
cellis potitus, in militario ſpolio Petrum
Vercellenſem Epiſcopum interfecit, inſcio,
vel iubente Ardoino, Deus ſcit. *Itaq; Ardoino*
*regnante tabula ſcripta Mutinæ adhuc apud*
*Canonicos, Papiaquè apud Monachos S. Sal-*
*uatoris leguntur.* Ab hoc conuentu abfuiſſe
Arnulphum, qui beneficio Othonis III. Me- XX.
diolanenſem regebat Eccleſiam, Auctore
*Triſtan. Calch. lib. 6. p. 120. defuncto Landul-*
*pho Carcano, ſufficitur Arnulphus ex gente (vt*
*quibuſdam placet) de Arſago; quem Otho vxo-*
*rem ducturus ex eadem natione, ex qua Theo-*
*phaniam matrem ſortitus fuerat: Conſtanti-*
*nopolim, paciſcendarum nuptiarum gratia*
*miſit.* Vult Puricellus memor: Eccleſ. S. Am-
broſ. p. 332. *Arnulphus Archiep. quo tempore*
*Ardoinus in ea Synodo creatus fuit Rex, non-*
*dum è Conſtantinopolitana legatione redierat.*
Calch. concordare videtur lib. 6. p. 121. *Ar-*
*duinus Nobilis Eporediæ Marchio conuentum*
*Papiæ habuit, atque ibi Longobardorum Rex*
*declaratur. Quo facto, cum Arnulphus Ar-*
*chiepiſc. Conſtantinopoli rediiſſet, nullo non of-*
*ficij genere eum ſibi cōciliare Arduinus ſtuduit.*
*Contra Arnulphus Archiepiſcopus cum digni-* XXII.
*tatis, tum animi altitudine nixus, inſignem*
*ſibi iniuriam factam denunciat, quod iniuſſu*
*ſuo Rex Italiæ lectus, & coronatus ſit, cuius à*
*Carolo Magno ius nulla interruptum iniquita-*
*te tem-*

Sal. Anno 1002. te temporum fuerit. Ob eam rem Epiſcoporum, Abbatumq; concilium laude conuocat, atque frequenti concione antiquum decretum D. Gregorij Pontificis recitat, in quo diſertè ſcriptum ſit, vt vacante Italiæ Regno Archiepiſcopus Mediolani intra dies quatuordecim ſuffraganeos ſuos aduocet, atque ex illorum ſententia Regem Italiæ creet. Inde in Ardoinum conuerſus, neque rectè, neque ordine feciſſe illum, oſtēdit, qui, ſe inſcio conuentum Principum aduocarit, ad eoſque de Rege creando retulerit, ac lectus denique contra omnia vetuſtatis exempla ab alio, quam à ſe ipſo, regium diadema ſuſceperit. Itaque videndum ſibi eſſe, vt ius ſuū retineat, proindè, ſi eis videatur, Ardoinum Regem vitio factum pronuntiare, atque Henricum, Bauariæ Ducem, à Germanis proceribus
XXIV. Regem Germaniæ ſubrogatum, more inſtituto Regem Italiæ deſtinare. Atque ita ſententia eius approbata, conuentus dimittitur. His rebus cognitis Ardoinus non minimum perturbatus haud quaquam tamen ſe deſerit, verùm au-
XXV. xilia aduerſus Mediolanenſes, cæteroſque fautores Archiepiſcopi belli inferendi cauſa, ſi ipſe non vltrò petatur, conquirit. (Omnes ferè Ita-
XXVI. liæ Principes in Henricum cum Ardoino iniecere fœdera.) Cæterum Henricus Dux, vt patet poſt mortem Othonis ſecundi Regnum inuadere voluit, ſic ipſe, mortuo tertio, occupauit. Quippe cum funeris in comitatu eſſet, eximijs iniurijs ab Hereberto Archiepiſcopo Colonnienſi, viro ſummæ auctoritatis affectus, inſignia regia è manibus eius, vt quæ iure ad ſe hæreditario pertinerent, extorſit, ac quibuſdam, vt Sigebertus inquit, principibus ſibi conciliatis, Rex Germaniæ lectus ſacram à Vuilligiſo Archie- XXIX.
piſcopo Moguntino inunctionem accepit. Opportunè autem de regno conſilia capiebat, cum ab Arnulpho de infeſtis Ardoini conatibus admonetur.

Interim inter Germaniæ Principes Hermannus (vt ſcribit Ditmarus) Alemanniæ, & Alſatiæ Dux timoratus, & humilis homo, à XXX.
multis quibus lenitas eius placuit, ſeductus, contra Henricum ſe armauit. Theodricus vero Luthariorum (ideſt Lotharingiæ) Dux vir XXXI.
ſapiens, & militaris, quo ſe pars populi maior, & melior inclinaret, ſecurus expectabat. Itque Procerum collecto conuentu, interrogati quem vellent regnare? vna voce reſpondent: Henricum Chriſti adiutorio, & iure hæreditario regnaturum: ſe paratos ad omnia, quæ ſibi vnquàm ſcirent eſſe voluntaria. Hocque dextris XXXII
manibus eleuatis affirmatur. EKKihardus cū
ſuis, quia præſens non erat, ſimulata tunc pa- Ekkihardus imperio excidit.
tientia hoc pertulit: quia quicquid peccatur à multis, vt ſcriptura teſtatur inultum eſt. Veſpere autem iam facto, cum neptibus Henrici Nonæ mollitur
conſororibus in magna domo; ſedilia aulæis ornata, & menſa eſſet varijs cibis referta, EKKihardus eandem præoccupans cum Arnulpho Epiſcopo, & Bernardo Duce ibi epulatur. Quod mentem conſororum priùs triſtem, cæteroſq; complures, qui interfuere commouit multum, renouaturq; in eundem odium diù celatum, ſed citò proh dolor, finiturum.

## CÆDES MARCHIONIS EKkIHARDI ÆMVLI IMPERATORIS HENRICI.

XXXIII. Ditm. lib. 5. IMperij fruſtrata cupidine Marchio EKkihardus, optimum duxit, vt occidentales viſendo regiones, Hermannum Ducem cum cæteris Optimatibus de Reipub. ſuiq; commoditate alloqueretur. Salutatis poſtera die ſuis familiaribus, inimiciſq; cautè notatis cum Bernuardo antiſtite Hildensheim venit, vbi vt Rex ſuſcipitur, honorificeque habetur. Deinde ad Patheburnam pergens, clauſas inuenit portas, & iuſſu venerabilis Rotharij Præſulis intromiſſus, primò Eccleſiam cauſa orationis intrat, poſtque ad domum, vbi Epiſcopus cænabat, veniens, caritatiuè ſuſceptus eſt. Ibi tunc dictum eſt huic, quod colloquium in Duisburg, cuius gratia huc venerat, fieri nullo modo potuiſſet. Inſuper animaduertit, multum diſplicere antiſtiti de incepto eius inconuenienti, eo propter hoc abiens, cum ad Northeim, Sigifridi Comitis curtem, veniret, diligenter ſuſceptus eſt, atque vt ibi pernoctare vellet, rogatur. Intimauerat huic occultè Domina Ethelind Comitiſſa, quod Sigefridus, & Benno, ſenioris ſuimet filij cum confratribus Henrico, & Vdone, alijſque conſpiratoribus ſuis de nece ſua poſitis tractarent inſidijs, ſuppliciter efflagitans, vt ad ibi vſque in craſtinum maneret, ſeu alio diuerteret.

Sal. Anno 1002.

teret. Talia Comes benignè ſuſcipiens, propoſitum itineris propter eos interrumpere nequaquam poſſe, nec velle reſpondit. Inde protinùs diſcedens, cautè ſuos per omnem diem hanc circumſpexit, & vt optimus erat miles, nè terrerentur, admonuit, quod eminus hoſtis è latentibus inſidijs conſiderans, quia non vtile tunc videbatur, diſtulit, & ſequenti nocte inceptis perſiſtere, dextris confirmauit. Peruenit autem Comes ad locum prædeſtinatum, qui Polithi dicitur, & facto veſpere comedit, & in lignea caminata cum paucis dormitum iuit. Cæteri verò quamplurimi in proximo quieſcebant ſolario, quos cum ſopor oppidò larxos grauaret, inimica manus in cautos opprimens inuaſit. Comitemque clamoribus immenſis excitatum, à lecto celeriter ſurgere compulit. Is verò braca ſuimet, & quibuſcumq; potuit, igni vires ſuggerit, & quod tunc præmeditari non valuit, fractis feneſtris maiorem nocendi, quam ſe defendendi hoſtibus aditum patefecit. Nec mora, præ foribus occiditur miles Hermannus, & exteriùs ad auxilium domino properans Atulfus, ambo fortes, & vſque ad mortem fideles. Vulneratur inſuper Erminoldus Imperatoris Camerarius, ac ſolus tunc repugnat EKKhardus, vir domi, militiaq; laudabilis, cui Sigfridus, haſta fortiter emiſſa, nodum ceruicis infrégit, terramq; oppetere compellit. Quo caſu protinùs perſpecto, alacriter omnes irruunt, caput amputant, & quod miſerum, funus prædantur. Facta ſunt autem hæc II. Kal. Maij. Peracto tandem immani ſcelere; percuſſores læti, & incolumes redeunt; Hi autem, qui in ſolario erant ignaui, nec dominum laborantem in aliquo adiuuabant, nec mortuum vlciſci conabantur. Abbas vero eiuſdem loci AlfKrus nomine corpus viſitauit, ac commendationem animæ ſumma deuotione perfecit; Quæ verò ſit cauſa, quæ hoc ad tale facinus perpetrandum perſuaſerit, veraciter explicare nequeo. Quidam dicunt Henricum inſtinctu prædicti Comitis ab Imperatore flagellis cæſum, hæc ſæpiùs in eum meditatum fuiſſe. Alij autumant, ſicut prædixi in Vvetlù ob contumeliam cōſororibus illatā, quia iſti libenter his ſeruiebant: ac per conuiuia, minaſque ab ipſo ſibi manifeſtatas, hæc eos incepiſſe. Hoc tantum ſcio, quod decus Regni, ſolatium patriæ, ſpes commiſſis, terror inimicis, ac per omnia perfectiſſimus foret, ſi in humilitate ſolum perſiſtere voluiſſet, huius vitæ curſum, quam probabiliter egit, hoc etiam teſtificatur, quod apud Dominum ſuimet beneficij maximam partem acquiſiuit in proprietatem: Milcienos à libertate indicta ſeruitutis iugo conſtrinxit, Boiemorum Ducem Bolezlaū, qui cognominatur Ruffus, ad militem ſibi, aliumque ad amicum familiarem blanditijs, ac minis adipiſcitur ſuper omnem Turingiam communi totius populi electione ducatum promeruit; Comites vero orientales, paucis tantum exceptis, regnumque in ſpe habuit. Quæ omnia ad tam miſerabilem hunc detraxère finem.

# BOLIZLAVI BOIEMI SEDITIO.

## HERMANNI Ducis hoſtilitas. HENRICI Sancti inauguratio.

EKkardo ſublato, qui nepos *Ludolphi* Ducis Sueuiæ ex Othone filio, & *Othonis Magni* pronepos fuit; quem Duces Saxoniæ *Lotharius, & Benno* filij *Hermanni* primi ducis, interfecerant; adhuc inaugurationem
XXXV Henrici impediebant *Henricus Marchio Auſtriæ* ex proſapia Comitum Schirenſium, & ſpe recuperandæ Bauariæ cum filio Erneſto noua moliebatur. *Hermannus Dux Sueuiæ*, & *Bruno* Epiſcopus Auguſtanus *Henrici* germanus frater, *Henricus* ad Moſellam fluuiū, & Theodoricus fratres *Cunigundæ* Imperatricis coniugis Henrici Sancti. Hos omnes armatis debellauit literis; & ſapientia eius il-
lecti, gratiam ſupplices inuenère. Tanto- XXXVI.
rum motuum cauſas, expromere ſolus Ditmarus ſumpſit in ſuis annalibus, vel diarijs, quos venerari, & antiquitas ſuadet, & fama exigit ſcribentis. Impolitus oppidò Ditmari, & ſuperabundans ſermo; cui non tam publica, quàm priuata fuit inſerere. Hæc tamen temporum vitia; vndè vnus Ditmarus eſſet, qui Orbem regentis geſta percurreret, & Chriſtianæ Reipublicæ faſtos exararet. Plurima in quinto Ditmari libro nobis objiciuntur; quorum dies cum ſedulus

adno-

Sal. An. 1002. adnotaret, negligens annos percurrit. Ex
XXXVII ſucceſſoribus chronologia ſupplenda, vel di-
uinanda potius, quia venientes Hiſtoricos
ferè omnes diſcordes inuenio.

XXXVIII Extincto porrò EKkihardo Bolizlauus,
Miſeconis filius (verbis vtar Ditmari) patri
longè inferior, de morte lætatur Comitis EK-
Kihardi, moxque electo exercitu, omnem Ge-
ronis Comitis Marcham citra Albim iacen-
tem, deindeque præmiſſis obſidibus Budiſſinam
Ciuitatem cum omnibus adpertinentijs com-
prehendens, ſtatim Strelam vrbem inuaſit.
Miſnenſes pecunia corrumpere clam tentans.
Qui nouis ſemper gaudentes, in vna dierum,
cum præſidij maximam multitudinem, ob ac-
quirendam equorum annonam, exiſſe comperi-
rent, portam, quæ Orientem reſpicit, in ea par-
te, qua ſatellites habitant, dicti Slauonicè
Vetheneci Cukesburgiens, Guncelino ad hoc
Duce irruunt. Breccionemq; Hermanni Co-
mitis ſatellitem, primo occidentes, ad camina-
tam eiuſdem omnes armari conueniunt, fene-
ſtram lapidibus impugnat grandibus, vrbis do-
minum, Ozerum nomine, ſibi ad occidendum
reddi vociferantes. Sed Ditmarus miles ex
cubiculi ſola monitione, quare ſic, inquit, agitis?
quis furor vos ita ſeduxit? vt obliti beneficiorũ
Comitis EKKihardi, ſpontaneæque inuitatio-
nis, ſic aſſurgitis in perniciem filij? Si cauſam
tanti facinoris ſeu publicè, ſeu clàm, cuiquam
noſtrum vultis aperire, commiſſi emendationem
vobis complacitam, futuriq; timoris veſtri met
ſecuritatem ex mei ſenioris, noſtrorumque om-
nium parte, firmiter, qualitercumque vultis,
promitto. Hunc, quem in mortem vobis dari
inclementer expoſcitis, nobis viuentibus, non ac-
cipitis. Pauci ſumus, aut communiter mori,
aut incolumes vrbe hac nos exire pro certo ſcia-
tis. Tunc illi, auditis ſermonibus his, collo-
quuntur, abeundique licentiam his præſtantes.
Duces Bolizlauum per internuncios inuitant,
portiſque eumdem ſuſcipiunt apertis, comple-
turq; quod ſcriptum eſt: lætantur cum malè fe-
cerint, ac exultant in rebus peſſimis. Et iterũ:
ſunt principia eorum vt mel, & nouiſſima, qua-
ſi abſinthium. Hac elatus proſperitate Boliz-
lausomnes Regionis illius terminos, vſque ad
Elſtram fluuium præoccupauit, præſidijſq; ſui-
met munit. Congregantibus ſe tunc vnanimi-
ter ad hæc prohibenda noſtris, doloſus ille lega-
tum obuiam miſit, qui ſe proteſtaretur, cum
gratia Henrici Ducis, ac licentia hæc incepiſſe:
in nullo ſe incolis nociturum, & ſe, quando is in
Regno vigeret, voluntati eiuſdem in omnibus
aſſenſurum: ſin autem, quod his tum placeret,
libenter facturum. Hoc animaduertentes no-
ſtri, verbis credidere phaleratis; & inhoneſtè,
quaſi ad dominum, ad eumdem profecti hono-
rem innatum ſupplicatione, & iniuſta ſeruitu-
te mutabant. Quàm iniquè comparandi ſunt
anteceſſores noſtri, & contemporales. Viuente
egregio Hudone, pater iſtius Miſeco domum, in
qua eum eſſe ſciebat cruſinatus intrare, vel eo
aſſurgente, numquam præſumpſit ſedere, Do-
minus indulgeat Imperatori, quod tributarium
faciens dominum ad hoc vmquam eleuauit, vt
oblita ſui genitoris regula, ſemper ſibi præpoſi-
tis auderet in ſubiectione paulatim detrahere,
viliſſimoque pecunia tranſeuntis inescato ha-
mo, in ſeruitutis, libertatiſque detrimentum
capere. Alter autem Bolizlauus Boiemorum XXXIX.
prouiſor, cognomento Ruffus, & impietatis
auctor immenſæ, antiquo more iam paululum
refrænato. Duci aſpirauit Henrico. Qui ini-
tio menſis Iunij cum primis Bauariorum, &
Orientalium Francorum Vuormatiam venit,
cauſa Rhenum ibidem tranſeundi. Magontiæ-
que benedictionem accipiendi. Quod prohibere XL.
Hermannus Dux nititur, nullumque eis pate-
fecit, Rheno fauente, ingreſſum. Dux autem
Henricus, habito de his rebus cum ſuis conſi-
lio, ſimulato in Bauariam redditu, tranſituq;
quaſi deſperato, ad vrbem Larſem, vbi ſan-
ctus requieſcit Nazarius, venit. Deinde ad
Magontiam celeriter properando, Rhenum ſe-
curus enauigat. Hic octauo Idus Iunij ibidem XLI.
communi deuotione in Regem electus, à Vuilli-
giſo, eiuſdem ſedis Archiepiſcopo, ſuffraganeo-
rumq; ſuimet auxilio, accepta regali vnctione,
cunctis præſentibus Deum collaudantibus, coro-
natur. Francorum, & Muſelenenſium prima-
tus. Regi munus tunc applicans, gratiam eiuſ-
dem meruit. Omnibus huc vndique confluenti-
bus, in militiam à rege ſuſceptis rurſus Rhenum
inundantem Rex nouus tranſiens, per Orienta-
lem Franciam, ſibi quàm fidelem, Alemanniã
inuadere, & cum depopulatione illius terræ, ab
inceptis Hermannũ reſiſtentẽ conatur auertere.

REBEL-

# REBELLAT COMES HENRICVS.

Imperator Turingis tributa remittit. BRVNO Imperatoris frater conſpirat in fratrem. BOLESLAVS Polonus hoſtilia proſequitur. *Sal. Anno* 1003.

NOn vnius ciuitatis ſolitum inteſtinum
graſſari ſanguine bellum; quaſi Leo,
qui humano illectus ſanguine nouum rabi-
dus ſemper anhelat, vires acquirebat eundo.
Hoſtili Hermanno Henricus iungitur Co-
XLII. mes Bertholdi filius. Ad regnum acquiren-
dum fuerat iſte Regi, vſque adhuc fidelis
Lib. 5. adiutor; *animaduertens, autem* (ita Ditma-
rus) *ſenioris ſui ſibi paululum alienam men-
tem, per optimos exercitus eiuſdem viros diù
Hẽricus Bauariã petit. firmiterque promiſſum Bauarij Regni ducatum
dari poſtulauit. Quibus Rex tale fertur dediſ-
ſe reſponſum: Nonne ſcitis, hac in hac expedi-
tione nequaquam fieri poße: Bauarios ab initio
Ducem eligendi liberam habere poteſtatem: non
decere tam ſubito eos abijcere, eiuſq; conſtitu-
tionis antiquæ ius abſq; conſenſu eorum frange-
re, ſi voluißet expectare, vſque dum ipſe ad
has regiones venirem, cum communi conſilio
Principum eorundem, ac voluntate, ſibi liben-
ter in hoc ſatisfacere. Quod vbi Henricus ab
internuntijs accepit, in maiorem promiſſi mu-
neris deſperationem veniens, paulatim ſe ab
Regis ſubtraxit familiaritate, comitaturq; ta-
men Regem ab Alemannia proficiſcentem in
XLIII. Franciam, poſtea ad Turingiam. Ibi Vuil-
helmus Turingiorum tunc potentiſſimus, ob-
uiam pergens, dominumque venientem cum
magna gratulatione ſuſcipiens, miles Regis
afficitur. Ibi tunc Rex à præfato Comite, &
à primis illis regionis collaudatur in dominum,
& ob omni populo rogatus, debitum his remiſit
cenſum. Inde Merſeburg veniens, ſuſceptus
eſt ab Heimone Abbate, & à fideli ſuimet Co-
mite Eſicone, qui hanc vrbem, & Alſtidi, ac
Thornburg cum appertinentijs, viuente EKKi-
hardo, hocq; grauiter ferente, viriliter vſque in
præſentiam optati ſenioris ſeruauit. Huc con-
ueniunt Archiepiſcopi, Luizo Bremenſis, & Gi-
ſilerus Magdeburgenſis, cum cæteris confratri-
bus Rhothario Patheburgenſi, Bernardo Hilli-
nenſemenſi, Arnulpho Habberſtadenſi, Ramu-
uardo Miſnenſi, Bernardo Ferdenſi, Hugone
Cicenſi: Ducibus autem Bernardo, ac Bolizla-
uo cum Marchionibus Luthario, & Gerone, ac
Palatino Comite Friderico. Rhedarios, &
hos, qui Luitici dicuntur, miſericorditer ſuſce- Cæſar rebelles mulcet.
pit, hactenuſque rebelles munerum dulcedine, XLIV.
promiſſionumque iucunditate ſedauit, & de
inimicis familiariſſimos effecit. Poſt hac Ro-
gationum dies à Chriſti fidelibus iugiter colen-
dos, Meſeburg celebrans, de aperta Bolizlaui
Ducis, & Henrici Marchionis ribellione inti-
matum eſt. Proximum Pentecoſtes feſtum in
Halberſtidi à Rege celebratur. Poſt hac ad Ba-
uariam tendens, Henricum auxilio Bolizlaui
reſiſtentem, primò deuincere, poſteaq; poſitas à
longè inſidias amonere conatur. Comperit etiam
ad hoc, quod Erneſtus, ab eo nuper honoratus,
& dominus Bruno, frater ſuus, cum eo iniuſtè XLV. Bruno frater Cæſaris rebellat.
conſpirauerant, ignorantes, quod ſcriptum eſt:
Virtus conſilij expers mole ruit ſua. Rex autem
ob ſedandam horum arrogantiam, familiares
ſuos vndique ſecum colligens, intrante Augu-
ſto, bona præfati Comitis inuadendo vaſtauit,
eumque vbicumque extra vrbem potuit, inui-
tum latitare compulit. Dicat aliquis non igno-
rans cauſam tantæ præſumptionis, neceſſario
eum hoc feciße: ſublimioribus non congruere
poteſtatibus, tam firmiter promiſſa, cuiquam
fideliter ſeruienti ſubtrahere, deuotionemq; cæ-
terorum abalienare. Quibus reciproco: nullam
in hoc ſæculo eſſe dominationem, niſi à domino:
& qui ſe contra eam erigat, diuinæ maieſtatis
offenſam incurrit: ſubitaneam iniquæ mentis
inflationem patientiæ gubernaculo debere re-
trahi, & cum humili ſupplicatione conſolatio-
nem expectare ſibi veraciter præfuturam: ſa-
tiuſque arbitror eſſe, altius de die in diem aſcen-
dere, quam ruinam inexuperabilem ſubito in-
currere. Libenter nepotem meum aliqua ex
parte defenderem, ſi veritatem, à cunctis fide-
libus honorandam, polluere auderem. Approba-
ta ſunt in multis antiquorum prouerbia. In-
ueterata Populi facinora parere noua mali pu-
dori detrimenta. Namque patri Regis, geni-
tor iſtius, non vt miles, ſed vt inimicus ſæpe
reſiſtit, Imperatoriſque partem, vt ipſe teſtatus
eſt, ob confirmatam ſacramentis gratiam
adiuuit: Similiter & iſte vſque in finem vlti-
mi Othonis ei fidelis erat, ſeniorique ſuo vſque
ad hac infelicia ſtrenuè miniſtrabat tempora.*

Sed

Sal. Anno 1003.

*Sed Regi ſecreto mentis latebat repoſitum patris, ſuique ſtelus infinitum. Spero autem, quod hoc omne pro amore Chriſti multum ſæpè relinqueret; ſi hunc tam crudeliter, & cum cæteris ſibi contrarijs apertè ſibi renitentem non cerneret. Henricus Marchio quamuis in hoc crimine ſolus culpabilis appareret, tamen abſque conſilio aliorum hoc primitùs non aggreditur, eo quia pro magno dedecore in hoc ſæculo proditor habetur, maluit hoc conſcientia gementi celare, quam ſui damnum aliorum augere detrimentis, & ob hæc, qui prius viriliter ſuam ab hoſte defendere ſtuduit patriam, tunc aperuit huic in rapinam. Mittitur ei clam à*

XLVI. *Henrici rebelli auxiliatur Bolizlaus.*

*Bolizlauo auxilium, nihil ſibi omninò proficuum. Venienti autem tunc Regi ad locum, qui Hatheresbug dicitur, omnem theſaurum ſuum ſe præcedentem, Maganus, Comitis prædicti miles, cum ſuis corripit, actumque intra illos diuidens, ad Amardelam Ciuitatem latus reuertitur: Quos Rex ponè inſequutus poſſedit, compoſitiſque bellorum inſtrumentis, eos vitam ſolum, reddita vrbe, & præda, fidis interceſſoribus poſtulare compulit. Tunc deſtructa penitùs eadem, diuiſaque inter ſuos Polienorum multitudine, Rex inde ad Cruſni Caſtellum, in quo frater Comitis Henrici,*

XLVII. *Bucco nomine, Dominam ſuam Gerbergam cum filijs cuſtodire debebat, proficiſcitur. Exercitum autem vndique ſecus circumſedentem Hēricus Comes cum exterius impugnabat vulnerans, alioſque incautè frumentum equis congregantes, perimit. Quod ne amplius fieri potuiſſet, Rex curioſè præuidit, poſitis militibus quadringentis, hoſtemque ſecretiora quædam petere loca coegit. Quem ibi caſtrametantem ruſtici vnius incontinens lingua cuſtodibus prodidit. Hi autem medij feruore diei illo latentibus tendentes inſidijs, vt primum caſtra viſis aguouere teutorijs, alia voce per Kyrie eleiſon ſocios conuocantes, hoſtes, relictis ibidem omnibus ſuis, capto ſolum Erneſto, effugarunt.*

XLVIII *Erneſtus filius Hērici capitur.*

*Reuerſi tunc ijdem, ex magna parte triſtes, efficiunt conſodales admodum lætantes, præſentatoq; Regi captiuo, capitalis ſententia à Iudicibus decernitur, quæ Maguntini Archipræſulis Vvillegiſi interceſſione ſuppliti, eo quæ Regi placuit, redemptione amouetur. Tunc audita ſenioris ſui fuga, Bucco Comes graui dolore concutitur, ac quid ſibi tunc foret faciendum, ſocios conſulit; à quibus diuerſa percipit reſponſa. Quidam dixerunt obſidem ſeniori ſuimet promiſſam, ac ignauiam perpetuò eis imputandam, mori malle, quam vrbem cum tali pignore Regi vmquam dare. Superſtite adhuc ſeniore ſuo auxilium ſemper ſperare profuturum. Alij autem, qui plus ſapiebant, atque torrenti, & homini potenti arduum eſſe teſtabantur reſiſtere, deuictos raró, aut numquàm promereri veniam, incolumes, & nullo ſe tunc vulnere tardatos, cum Domina ſuimet cæteriſque bonis, ac hoſpitibus abeundi licentiam apud Regem imploraturos, affirmabant. Horum, (vt opinor) conſilio cuſtos eiuſdem Ciuitatis Bucco cum Othone, germano ſuimet, dominæ loquitur, eiuſque ſuffragijs vrbem* XLIX.
*regiæ poteſtati tradidit, ipſe autem cum omnibus ſibi commiſſis ſecurus abijt. Confeſtim Ciuitas radicitus dirui à Rege iubetur. Sed parentibus huius rei auctoribus, magna ex parte cum ædificijs ſeruatur. Interim dum Rex Henrici Comitis vrbem, Cruſim vocatam, poſſidet, Bolizlauus eum in aliquo lædere ſummoperè niſus, clam exercitum colligit; & per Nuncios ſuimet Guncelinum fratrem hortatur, vt memor* L.
*firmæ promiſſionis, vrbem Miſnenſem ſuæ redderet ditioni, amicitiamque renouaret priſtinam. Ille autem ſciens, iſtius ingreſſu à gratia Regis, & à Domino tali ſe penitùs excluſum iri, mandatis talibus reſpondit. Omnia quæ præter hæc à me expetis, frater, libenter impendo, & ſi vmquam hæc faciendi opportunitas accidit, non recuſo. Sunt meum ſenioris mei ſatellites, qui talia non patiuntur, & ſi hoc publicatur, vita mea cum omnibus, quæ poſſideo, periclitatur. Hac legatione accepta, Bolizlauus, internuntios cuſtodiri, & legionem ad Albim properare iuſſit. Hic qualitatem vadorum ſecretò perquirens, mane facto ipſe ſubſequitur, & ad ſtrelam Ciuitatem, quia ſua dos erat filiæ, demandat, vt nec ſibi quidquam timerent, nec cum clamore illato conuicinos de hac re certos efficerent. Nec mora, exercitus iuſſu Ducis in quatuor diuiditur, & ad Crin Caſtellum veſpere conuenire præcipitur. Duæ autem phalanges*

*præmiſſæ ; ne ſui aliquam à Marchione moleſtiam paterentur, prouidere ſtudebant. Totus hic pagus , qui Glomaci dicitur , optimè tum excultus , in vna hac die , igne , gladio , & habitatoris eductione flebiliter deſolatur . Sed qualiter is , qui omnes crebrò fallere ſolebat , à quibuſdam , qui Mogilina vrbe ſedebant , deluderetur , memorare libet . Hi cum à legione ad eos mißa impugnarentur , cur ſic facitis ? inquiunt . Veſtrum ſeniorem optimum ſcimus , & hunc noſtro præponere volumus , tantum præcedite , & nos cum familijs , & poſſeſſionibus vniuerſis ſubſecuturos non dubitate . Talia orantes , non amplius vexabant hoſtes , & ſeniori ſuo hos aduentare pro certo nuntiabant . Sed cum commilitones ſerò confluere locum , hoſque domi ſedere , dux cerneret , multum iraſcitur , & mendacibus ſocijs pæna minatur . Poſtera luce orto iam Sole præda innumerabilis præmittitur , & magna pars hoſtium Albi immergitur . Cæteri domum redeuntes illæſi, diuidunt prædam , ſeniori ſuo optima quæque aſſignantes . Non fuit minor captiuorum numerus , quam tria millia , & vt præſentes affirmabant , multò amplius . Henricus verò Comes ſe iam defeciſſe animaduertens , ad vrbem Crana dictam properat, ibique Sigfridum, filium Comitis Sigfridi iuuenem , auxilio ſe expectantem collato inueniens , nec ſibi, nec huic vllam in rebellione ſpem in his*
*Henricus ad Bolizlaum confugit.* *partibus promiſit . Tandem cum eo multa loquutus , eamdem incendit , atque ad Bohemiæ tunc inuaſorem Bolizlauum cum Do-*
LI. *mino Brunone , reſiduiſque fautoribus conceſſit . Sigfridus vero ſpe palam reſiſtendi fruſtratus, non eos comitatur , ſed de futura commiſſi emendatione certus reuertitur . Rex autem ad Cranam hoſtem inſequutus fugientem , leniuit in hos ſuimet animum , quod agnouit ſe inimicum in destruendis præoccupaſſe . Miſit tunc Henricum Vuirciburgenſem Epiſcopum , & Erkanboldum , Fuldenſis Cœnobij Abbatem , vt Suuinfordi Caſtellum incederent , atque diruerent . Quos aduentantes Henrici Comitis inclyta mater Eila nomine ,* LII. *Eila mater Henrici impedit incendium Eccleſiæ*
*vt tales decebat perſonas , ſuſcipiens , & ſalutans , vt præcepta intellexit regalia , perturbatur, concitoque curſu ad Eccleſiam properans , ibidem ignis concremationem prius ſubſtinere , quam hac comburente viua vellet exire , teſtatur . Vnde ſeniores præfati , ob Chriſti amorem ſæculares poſtponendo timores decretam mutabant ſententiam, muroſque vrbis , ac ædificia ſolo tenui frangentes , triſtem matronam his mulcebant promiſſis , ſi quando cum gratia Regis id fieri potuiſſet , hoc totum ex ſua parte ſe renouaturos . Rex autem deuaſtata omni Comitis proprietate , & cum benefitio latè diuiſa, ad Baueberg venit, ibique exercitu ſuo bona cum pace dimiſſo , natiuitatem Domini genitricis ſolemnibus celebrauit gaudijs. Inde profectus ad ſyluam Spehteshard nuncupatam , laborem expeditionem deliniuit ſuauitate venationis . Completa ibidem autumnali iucunditate , per Franciam tranſijt ad Saxoniam , indicens his proxima hyeme ſuam ad Milzieni expeditionem .*

## GISILERVS ARCHIEPISCOPVS

Iubetur ſe abdicare Archiepiſcopatu Magdeburgenſi.

*Salutis Anno* 1003.

LIII. *Lib. 5.* NAtale Domini cum in *Polithi* (Ditmarus ſcribit) *more priorum diuinitus, ac humanitus honorando peregit. Deinde ad Dornburg veniens , Vuilligiſum Archipræſulem cum cæteris familiaribus ad Giſilerum miſit Archiepiſcopum, tunc nimis infirmum, vt memor Domini , quidquid in deſtructo Merſeburgenſi Epiſcopatu hactenus deliquit, hunc reſumendo, iniuſtamque ſedem relinquendo, in vltimis ſaltem emendare voluißet . Hunc primo propter Hermannum , quem ſibi idem ſemper in Regno ſummoperè conabatur , præponere , odiuit , poſteaque data huic ſuimet*

gratia,

Sal. An. 1003.

gratia, inter familiariſſimos habuit, commiſitq; ei omnibus in Saxonia ſuimet proprietatibus, fidelem in his perſenſit prouiſorem, multa, quæ tunc ſua arridebant voluntati per eumdem cõplens. Tandem zelum Domini ampliùs ferre non valens, perfecto hunc perſecutus odio, hos, ſicut prædixi, miſit nuncios. Quibus vix talibus reſpondit. Dencur mihi trium, vel quatuor induciæ dierum, & mihi liceat abire. Quibus tranſactis, certa vobis referam. Hoc apud Regem impetrans, & in curru, vt diù tunc ſolebat, exiens ad Thriburi curtem ſuam venit, ibique duos commoratus dies, VIII. Kalend. Februarij migrauit ab hoc ſæculo.

## ARDOINVS ITALIÆ REX,
### GERMANOS vincit, & fugat.

LIV. DVbia aggredimur hoc Anno monumenta antiquitatis. Othonem Henrici proregem, aduerſus Ardoinum Papiæ ab Italis inauguratum Regem, ab Henrico miſſum, ab Ardoino profligatum, nonnulli Scriptores habent. Germanorum quod ſileant annales, Ditmarus præcipuè Auctor, non tàm veritate clarus, quàm exuberanti narratione moleſtus, vim infert tantæ Italorum victoriæ; quod parui facerem, ſi aliundè ſuppleret antiquitas, cuius teſtimonium deſideratur. Niſi dicas Ditmari verba, quæ infra leguntur num. 46. (*Harduuigus collectis agminibus in Veronenſi planitie conſidens, ſperabat, præſentia præteritis proſperitatibus forſam reſpondère*) hanc victoriam velit annuere. Quid Sigonius habeat, haud prætermittam, vt ſit lectoris iudicium. Henricus *Rex Germaniæ lectus ſacram à Vuilligiſo Archiepiſcopo Moguntino, inunctionem accepit. Opportunè autem de regno conſilia capiebat, cum ab Arnulpho de infeſtis Ardoini conatibus admonetur. Itaque Ardoino, antequàm ſe confirmare poſſet, occurrendum exiſtimans, primo vere Othonem* (quis eſſet Otho? quæſiui, & non inueni) *Ducem aduersùs eum in Italiam cum valido exercitu miſit. Ea re cognita, Ardoinus qui ingentem ex omni Lombardia Papiæ militum manum coegerat, ſine mora ſeſe ad Alpes obiecit, atq; in Campo Fabricæ, auidus certaminis depugnauit: primo æquis vtrinque viribus, magno ardore animorũ certatum, poſtremò Henrici exercitus in fugam acie inclinata coniectus eſt. Quo audito Henricus, tranſalpinis bellis prægrauantibus, Ardoinum atque Italiam in præſens omittere eſt coactus.*

Sigon. lib. 8. de Regn. Italiæ.

Succedit Annus milleſimuſquartus, quo tempore vrgente adhuc Germanorum tumultu, Italiam, Bohemiam, & Bolizlauum Slauorum Ducem ab Henrico deuictũ *Hermannus Contractus* notat; cui Marianus Scotus concordat. De hac tamen in Italiam expeditione, nil apud Ditmarum legitur. Imo non tam penès Sigonium, hiſtoricum ætate longè inferiorem; quàm Sigebertum profundum eſt ſilentium vſque in Annum decimum tertium. Ex aduerſo Ditmarus ſub Anno Sal. 1005. pugnantem, & Papiæ triumphatorem Henricum objicit. Interim *Babengerſem Eccleſiam* (vt Sigebertus ſcribit) *Epiſcopalis ſedis honore ſublimat, & quia liberis carebat, eam omnium rerum ſuarum he-* LV. *redem facit. Vnde Deodericus Metenſium* LVI. *Epiſcopus dolens, dotem, & patrimonium ſororis ſuæ Chunigundis Imperatricis delegari ab Imperatore Bambergenſi Eccleſiæ, rebellat.*

Eccleſia Bãberg. in Epiſc. erigitur.

## BOLESLAO SEVIENTE, BRVNO FVGIT AD HVNGAROS.
### HENRICVS Comes Regi ſe ſubdit. *Sal. Anno 1005.*

HEnrici pietas annum aperit, & reparato Merſeburgenſi Epiſcopatu, vnà cum bonis, & iuribus ipſi nouo Epiſcopo Vvigberto, quæ diſtributa fuerant inter Eidonem, & Hillebardum Epiſcopos, ſubditos lætitia perfudit. *Interim Bolizlauus ſuo furore, & Comitis Henrici inſtinctu, magnam vim Bauarys, omnibuſq; conciuibus ſuis intulit. Ob hanc cauſam Rex indicta prius expeditione Milzini fines hoſtiliter inuaſit, & ni ſuperflua niuis effuſio celeriter reſoluta eum impediret, omnis hæc Regio habitatore vaſtata*

LVII. Ditm. lib. 6.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sal. Anno 1005. *caruiſſet. Inde reuerſus triſtis, Gunzelino
Marchioni, cæteriſque patriæ defenſoribus po-*
LVIII. *ſitis auxiliatur præſidijs, ac tunc Mersburg ve-
niens, fratrem ſuum fugiſſe ad Vngarorum
Regem veniæ gratia acquirendæ. Henricum
autem incepti multum pœnituiſſe, à fidis inter-*
LIX. *ceſſoribus ab eo miſſis comperit. Quorum, &
maximè per chari ſuimet Tagmonis, & Ber-
nardi Ducis ſupplicationes & ſi inuitus ſuſci-
piens, præfati Comiti ſuimet gratiam ea ratio-
ne indulſit, vt prædium ſibi, ſuiſq; fautoribus,
& incolatum redderet, ipſum autem quandiù
voluiſſet, in cuſtodia detineret. Henricus verò
ſe nimis in omnibus culpabilem lacrymabiliter
profeſſus, more, & habitu pœnitentis Regi ſe
tradidit, eiuſque iuſſione ab Archipræſule præ-
dicto in Caſtellum Vuitganſtein detruditur, di-
ligenterq; à ſuis militibus die, noctuq; ſeruatur.*

## HENRICI EXPEDITIO ITALICA II. *Sal. Anno* 1005.

SEcunda dicitur Henrici in Italos Expe-
ditio: quia licet in prima ipſe non adeſ-
ſet, Othonem tamen miſit ProRegem,
quem Arduinus in Campo Fabricæ deuicit.
Italicæ itaque *Rex non immemor iniuriæ om-
nes ſocios fideles ad hanc vlciſcendam hortatur,*
Idem Dumar. *ac inſtanti quadrageſima ipſe eò cum armato
milite deſtinauit pergere. A Mersburg tunc
exiens, Sancti Mauritij apud Dominum in-
terceſſionem, itineriſque proſperitatem Magde-
burg petijt. Inde per Turingiæ orientaliſque fi-
nes Franciæ tranſiens, ad Ratisbonam venit,
ibi regali habitu, placito militi ſuimet, generoq;*
LX. *Henrico Duodecimo Kalend. April. cum omniũ
laude præſentium, cumque haſta ſignifera, du-
catum dedit. Dehinc Auguſtanam vrbem iti-
nere attingens, à Sigifredo Antiſtite eius, hono-
rabiliter introducitur, & habetur. Ibi tunc
duas tantum noctes commoratus, Reginæ dili-
genti ſalutatione licentiam dedit, ad Saxoniã
abeundi, dilectoq; eam commiſit Tagmoni. Ip-
ſe autem cum exercitu progreditur, vſque ad
locum, qui Scamgam dicitur. Vbi Dominus*
LXI. Bruno reconciliatur. *Bruno, fraterq; eius cum Vngaricis interceſſo-
ribus Regi præſentatur, & ab eo data ſibi gra-
tia miſericorditer ſuſcipitur. Equidem ab Ar-
chiepiſcopo Tagmone rogatus ad prædictam ci-
uitatem veni, & cum eodem redij. Venimus
ad ſalutem Geronis, ibique cum venerabili Ab-
batiſſa Hathui palmas ſolemniter peregimus,
quarta feria ad Magdaburg Reginam veniens
Cœnam Domini, & ſubſequentem Dominica
Reſurrectionis ſolemnitatem, ibidem celebra-
uit. Rex autem per multas itineris aſperita-
tes ad Tridentem veniens vrbem, ibi palma-
rum feſta colit, & exercitum nimij laboris ne-
ceſſitate afflictum, hac celebri ſolemnitate pau-
lum reſpirare permiſit. Quem aduentantem
Harduuigus Rex præſciens, ac multum expa-* LXII.
*ueſcens, ad munitiones ſupra memoratas nun-
tios probatos miſit. Ipſe autem collectis agmi-
nibus in Veronenſi planitie confidens, ſperabat
præſentia præteritis proſperitatibus forſitam re-
ſpondere. Hunc tranſitum Henricus Rex in-
terclusum, aut vix, aut nequaquam expugnan-
dum, comperit.* (Intercluſa non tantum Ita-
liæ ora, ſed iterum cum Harduuinus vin-
ci, flagitioſum putaret Cæſarem vicerit,
haud latent recentiorum hiſtoriæ vt Putea-
ni, & Ripamon.) *& aliò ſe vertens, cũ ſuis tra-
ctat familiaribus, ſi Cluſas hinc longè remotas
Carentanis auxiliantibus, intercipere vllate-
nùs valuiſſet. Quod conſilio prudenti, quamuis
arduum multis videretur, effectum eſt. Caren-
tani regalibus iuſſis illicò obtemperantes, in
duas diuiduntur legiones: vnam, quæ ante ip-
ſum diei crepuſculum montem Cluſis ſuperpoſi-
tum, occupabat; alteram, quæ iam facto mane
ad has expugnandas ſubſequitur, audito à præ-
miſſis commilitonibus ſigno tam vehementi, vt
ex latentibus hoſtium inſidijs audiri potuiſſet.
Qui poſt tergum, vt opinabantur ſecuri, venien-
tibus obuiam armati properant. Sed noſtri eos
ex latere irruentes alios effugarunt, quoſdam* LXIII.
*autem præcipitio, & in Brenti fluminis inun-
datione compellebant interire. Sicque victores
Cluſas, vſque ad Regis aduentum ſollicitè tue-
bantur. Hoc Rex ab internuntijs, vt audiuit,
relictis omnibus impedimentis, optimis ſatelli-
tibus exceptis, cum magna difficultate eas per-
tranſit, & iuxta litus aquæ ſupra memoratæ
in quadam grata planitie caſtramentatus eſt,
vt ibidem Cœnam Domini, & chriſmatis con-
ſecrationem, ac paſſionem Dominicam, & ſan-
ctam eius Reſurrectionem ſummopere venera-
tur. Interdicta eſt omnibus per bannum rega-*

le à

Sal. Anno 1005. *le à Palatino Comite fuga , & reſiſtentibus viriliter promittitur conſolatio futura. Rex autem in tertia feria aquam tranſiens prædictam, fixis iterum tentorijs requieuit; explorantes præſtolans ſollicitè , ad quærendam Harduuigi hoſtis conuerſationem , qui cum ſuis hactenùs in malo vnanimis, diuinæ pietatis inſtinctu di-*
LXIV. *uiditur* , ( Fœderati Principes Arduinum deſerentes , triumphantis Henrici ſequuntur inſignia ) *& ab iniuſto ſupplantatore auxiliaris manus diſiuncta , Domino coronato Regi Henrico ſecurum fuga patefecit ingreſſum. Verona primò eundem ſuſcipiens , exultat in Domino , aduenisſe defenſorem patriæ , auctorem verò abiſſe totius miſeriæ . Huic occurrit diù*

*expectatus Tiebaldus Marchio cum prædictis* LXV. Tiebaldus Marchio Italia.
*auxiliatoribus, gaudens tempus aduenisſe , quo ſecretùm bonæ voluntatis ſibi liceret huic aperire .* ( Inter Arduini fœderatos Thiedaldus primus fuerat, nec diſceſſit , quouſque fælicitas non abſceſſit , vide Florentium lib. 1 .in vita Mathildis ) S. ipſe Vvilhelmus Arduini LXVI.
nepos victoris ſortem non deſpexit . Vt legitur cap. 17. in vita S. Vvilhelmi . Nec mirum , quod ab omnibus ferè conſanguineis deſereretur Ardoinus . Italis namquè cœca diſcordia aduenis portas reſerauit Italiæ . Inter proximiores agnatos Ardoini, Comites erant Angleriç *Facius Platus* LXVII.
Angleriæ Comes quinto conſanguinitatis




gradu cum Rege Ardoino iunctus. Eliprandus Vicecomes Mediolani , & *Plato de Platis* Comes ſupremus Valiſtarij, Taurexanæ, Facij Filius , & Eliprandi frater , qui in Ardoinum agnatum ſuum partes ſequebantur Eccleſiæ , vt in actis Iacobi Mediolanenſis ſub die 27. Aprilis Anno 1014. legitur , cuius verba , *Virtute operæ honoraria per ipſum D. Platum, & q. ſpectabilem militem D. Facium de Platis patrem D. Plati , & filium quondàm ſtrenui militis D. Opizzonis Comitis Angleriæ facta prò ſeruitio , & defenſione S. Romanæ Eccleſiæ .* Perduelles dicerem familiæ , & regni , ni fideles fuiſſent Eccleſiæ . Religioni ſummum cedit imperium . Nec diſſidij , quis valet inſimulare familiá cum diſcordiæ caput eſt Sanctus . Itali Ardoinum agnatum deſeruère Regem , ne Pontificem derelinqueret , ſed inter aulę arcana ſanctitas triumpharet Eccleſiæ .

Tali




Tali itaque comitatu Henricus Brixiam
veniens, *ab Archiepiſcopo Rauennati, & ab*
Dimarus. *huius ſedis prouiſore Ethelberone cum compro-*
*uincialibus ſuſcipitur. Inde Bergomum, ab*
*Arnulpho Imperatore olim deuictam, itinere*
*attingens, Mediolanenſem Archipræſulem fi-*
*de ſacramentis firmata recepit. Poſt hac Pa-*
*piam viſitans Vrbem, ab Archiantiſtite hoc,*
*& à primis illius Regionis ſuſceptus, cum ad-*
*mirabili laude ad Eccleſiam ducitur, & com-*
*muni electione ſublimatus, in ſolium regale col-*
Papia eligitur Imper. Hẽricus *locatur. Eademque die reuelatur, qua muta-*
*bilitate totius Mundi huius inſtabilis curſus in*
*pronum ſemper voluatur. Namque inter tot*
*gaudia ſubito inſeuit inimica pacis diſcordia,*
*& à ſuperflui vini ebrietate de vili cauſa in-*
*terrupta eſt miſerabiliter fidei connexio, & ſa-*
LXVIII *cramentis. Conciues aduerſùs nouiter electum*
Papiẽſes rebellãt. *Regem armantur, ad palatium properant, &*
*maximè hi, quibus ius Henrici diſplicebat.*
*Harduuigi autem relaxatio mulcebat. Cla-*
*mor, vt à Rege auditur, quid hoc eſſet, explora-*
*ri citiùs ab eo iubetur. Cui protinùs reſpondetur, plebeios furore ſubitaneo inflammatos, & ſeruili præſumptione animatos, hanc commotionem primitus incepiſſe, cæteros quoque omnes in detrimentum ſui, vel dedecus conueniſſe. Quos iam irrumpentes Heribertus, Agrippinæ prouiſor egregius, ſedare conatus, vt de feneſtra cauſam tantæ inuaſionis inquirit, lapidum imbre, & ſagittarum infuſione retruditur. Palatium autem ab hoſtibus grauiter impugnatum, à domeſticis Regis, facilè numerandis, viriliter defenſum eſt. Diuiſis etenim plura neceſſaria noſtris, maior vix excreuit inimicis. Tandem audito clamoris immenſi ſtrepitu, noſtri gregatim ad Regem properant, hoſteſque adhuc inſanientes paululum expellunt. Sed imminente iam nocte, ſagittis, atque lapidibus obuijs tardantur. Quæ ad prouidenda vrbis tunc incendunt mœnia. Noſtri autem, qui foris erant, vrbis propugnacula fortiter aſcendunt, qui hi ſic meliùs reſiſtebant. Ibi tum quidam egregius Iuuenis Giſilbertus nomine,*

frater

Sal. Anno 1005.

Frater Cunigũdæ occiditur.

*frater Reginæ; à Longobardis vulneratus, op-*
*petijt, & conſociorum triſtitiam vehementer*
*adauxit. Quem Vulferam miles in medium*
*agmen proſiliens, vnumqne ex his per galeam*
LXIX. *vſqne in ingulnm feriens ſecurus vindicauit.*
*Sic alternando quietem, cunctis amicam, belli*
*aſperitate mutabant. Nonnullus ex hoſtibus,*
*quos vi capiebant noſtri, viuos Regi præſenta-*
*bant. Subitò ibidem vna domus, quæ noſtros*
*tuebatur defatigatos, à Longobardis incenſa*
*ruit, ac eos nulla ſpei certitudine potitos ala-*
*criores bello reddidit. Interim Alemanni cum*
*Francis, & Lutharienſibus tandem hac mala*
*reſcientibus, fractis intrantes muris, in tan-*
*tum concines perſecuti ſunt, vt è munitione*
*domorum ſuarum, nec vnus egredi præſumeret.*
*Harum ſummitate hi noſtros iaculis grauantes*
*immiſſis, incendio perierunt illato. Difficile eſt*
*cuiquam ad enarrandnm, quanta ibidem ſtra-*
*ges diuerſis efficitur modis. Milites Regis tum*
*victores ſine vlla offenſione ſpolijs interemptorũ*

Cæſar Papienſibus parcit.

*vtuntur. Hoc miſerabili aſpectu Rex motus,*
*& vt reſiduis parcerent, firmiter præcipiens, ſe*
LXX. *ad munitionem Sancti Petri contulit, hoſtibuſq;*
*veniam ſupplieiter implorantibus miſericordi-*
*ter indulſit. Tunc abſentes quique accepta Re-*
*gis victoria, aut ipſi veniunt, vt talia declina-*
*rent, aut obſides mittunt, fidem anxilium, &*
*ſubiectionis debitum Regi promittentes. Seda-*
*tis tunc Papiæ calamitatibus, Rex ad pontem*
*longum venit. Longobardorumque reſiduum*
*agmen per manus ſuſcipit, habitoque ibidem*
*cum omnibus eloquio, rebuſq; maximis pruden-* LXXI.
*ter ordinatis, Mediolanum, Sanctiſſimi Præ-*
*ſulis Ambroſij amore, petijt, moxque ad prata*
*prædicti pontis reuerſus, præſentem Populum, de*
*ſubito eius conquerentem diſceſſu, promiſſa ce-*
*leri ſuimet reuerſione, cæteriſque conſolationi-*
*bus multis, placauit. Inſiſtentem verò tunc*
*Pentecoſtes ſolemnitatem in loco, qui Grommo* LXXII.
*vocatur, celebrat; Indè tum procedens Thuſcos*
*ſibi obniantes in conſortinm ſibi firmiter ſeruië-*
*tinm ſuſcepit. Dehinc patriam reuiſere feſti-*
*nans, Alemanniæ fines, nuper à Ducis Her-*
*manni ſolatio priuatos, filioq; eius & equiuoco,*
*adhuc puerulo, deditos ad regendum, & con-*
*firmandos, inuadit.*

Mediolano Cæſar parcit.

Thuſcos fœderatos recipit.

## EXPEDITIO IN BOLIZLAVVM. *Sal. Anno* 1005.

ARgentinæ cum Præcurſoris Chriſti
celebraſſet Natiuitatem Henricus,
Sancti Martini limen, Maguntiam ſupplex
adijt, ibique natale Apoſtolorum venerabi-
liter coluit. Illinc per Franciam Orienta-
lem iter faciens, Saxoniam reuiſit. *Ibi tunc*
*diu* (ex Ditmaro) *reconditum zeli latitantis*
*arcanum ſimplici corde euomuit, & ad compe-*
*ſcendam Bolizlaui arrogantis ſæuitiam, omni-*
LXXIII. *bus in ſua ditione, Chriſto, ſibiq; fidelibus expe-*
*ditionem Auguſto tam mediante indixit. Sta-*
*tuto igitur termino, in Merſeburg exercitus fit*
*collectio, ac in hoſtem tandem ſecreta promotio.*
*Aſſimulato namq; in Poloniam itinere naues*
*glomerantur, vt ficta ſuorum beneuolentia non*
*fieret inimico circumeundi propalatio vlla. In-*
*terim magna imbrinm effnſione in tranſeundis*
*fluminibus exercitui ineffabilis fit retardatio,*
*& cum minimè quis hoc conijcere potuit, in Bo-*
*hemiam Rex celeriter perrexit. Huius aduen-*
*tum Leo rugiens cauda ſubſequenti impedire*
*ſatagens, in ſylua, quæ Miriquidui dicitur,*
*montem quemdam cum ſagittarijs, prorſus in-*
*tercluſo omni aditu firmat. Rex autem id com-*
*periens, præmiſſis clam loricatis militibus ele-*
*ctis, hoſtibus inuictis, arduam irrupere viam,*
*facilem ſubſequentibus parentes callem. Inter*
*hæc Bolizlauo in vna dierum cœnante, vnus ex*
*noſtris, Capellanus Reinberni, Præſulis ſui, de*
*aduentu noſtri exercitus loquitur, & ab eo mox*
*auditus, quid diceret, rogatur: Cui reſponſa re-*
*ferenti, tum inquit: Si reperent, vt ranæ, non*
*poſſent adhuc aduenîſſe. Et verum eſt hoc, ni*
*aſpiraſſet Regi diuina pietas, & hunc non in-*
*flaſſet ſuperbiæ magnanimitas, non prouenîſ-*
*ſet nobis tam ſubitò victoriæ proſperitas. Adu-* LXXIV.
*nit etiam Regem exulis Iaromiri, qui firma*
*pax interpretatur, comitatus, & adoptatus*
*eiuſdem aduentus Boicmorum deliniuit agmẽ:*
*Horum conſultu, & vocatione Regi introitus*
*patefit, & in ipſa regionis iſtius ianua vnum*
*caſtellum ſua eidem ſpontè reddidit. Rex pro-*
*pter Bauarios nondum aduentantes tardato*
*paululùm itinere, ad vrbem Satzi dictam ve-*
*nit, & conciues hos portas ſibi illico aperientes,*
*& Polonos intus præſidio poſitos occidentes, ſui-*

Vis belli in Deo.

Vrbem Satzi occupat.

*met*

Sal. Anno 1005. *met cognouit amicos. Videns Rex tantam ſtragem, commouetur, & ſuperſtites in vna præcepit Eccleſia detrudi. Adeſt etiam, qui Bolizlauum à comprouincialibus eſſe interemptum pro certo referret. Lætantur in Domino familiares Regis, corruptique triſtantur fautores adulterini Ducis. Hi inuicem muſſantes ex iniuſti cordis ſui ſecretario hoc euomuere mendacium. Si Rex vmquam in bona ſecuritate conſiſteret, ſe tunc ad nihilum valere, multaq; ab eo pati contraria, debere; Propter hoc latente igniculo ſub cinere in hoc itinere, ac poſtea ſæpiſſimè, Regi ſuo cunctorum hoſtem fidelium, brutis peiores animalibus, præpoſuerunt, ignorantes, quod ab eorum fraude vicarium ſuimet in terris Dominus pater ingenitus, ſpeculator*
LXXV. Iaromirus Cæſaris fidelis. *deſuper liberaturus erat è Cœlis. Tunc Iaromirus iuſſu Regis cum optimis militibus ex noſtris, ac cum incolis ſibi adhærentibus, ad capiendum, ſeu occidendum ſerpentem venenoſum Pragam præmittitur. Quem præoccupantes nuncij præſcriptorum rem ordine pandunt Bolizlauo, de tali periculo priùs ſecuro. Hic legatione tali commonitus, clam ſe præparauit, & ſubſequenti nocte iam mediante, audiens in vrbe proxima, quæ Vuiſſegradi dicitur, campanas, ciues ad bellum ſonitu hortantes, cum prima legione exiuit, & patriam fugiendo reuiſit. Quem Zobiſſaus, frater Athelberti Præſulis, & Chriſti martyris, ſubſequutus, in ponte vulneratus oppetijt, & magnum hoſtibus gaudium ſuis autem luctum ineffabilem reliquit. Craſtina autem die Iaromirus adueniens, Populis iura, veniamq; commiſſi poſcentibus ante portam dedit, illicoq; intromiſſus, priſtinis honoribus magna iucunditate intronizatur, ac tunc depoſitis vilibus indumentis praecioſioribus ornatur. Huic ibi tum præſentatur, quidquid vnuſquiſque militum hoſti fugitiuo, vel occiſo ſpoliorum abſtulit. Muneribus idem delectatus plurimis, ad Vuiſſegradi introducitur, ibidemq; in Dominum exclamatur. Regis indulgentia, & ſecum huc vſque perſeuerantibus diu elaboratum permiſit brauium. Confluit vndique ſecus tam vulgi, quàm ſeniorum ineffabilis turba ad gratiam noui Ducis percipiendam, & ad præſtolandum glorioſi Regis acceſſum. Hic*
LXXVI. *tandem adueniens ab Antiſtite Thiedago, & à Duce Iaromiro cum immenſo Cleri, totiuſque Populi tripudio ſuſcipitur, & ad Eccleſiam Sancti Georgij deducitur.* Licet rem aliter accidiſſe, Dubrauius ſcribant, & Cromerus: Lib. 6. Bohem.
duo erant Boleslai Polonus, & Bohemus, vel Miſeco Polono nomen erat. Poſt pacta fœdera inuitatus Bohemus (vt legitur apud Dubrauium) in Cracouiam pergere, ibi ſacrilego dolo, violato hoſpitij iure Bohemus admota oculis lamina à Polono exoculatur. LXXVII
Domum reuerſus Hiaromirium natu maiorem filium in ſolio collocat. Filius ſimplici corde imitabatur patrem: propterea ſimili dolo idem proditor filium tradere tentauit. *Cochanus* proditori nomen erat ex Rauitis, ſeu Verſouicijs, principe tunc inter Bohemos familia; cuius Stemma gentilitium erat, Puella viro inſidens (teſte Cromero lib. 2. Pol.) venatum inuitat, intra ſyluam adducit, aberrantibus ſocijs, equo deturbat, deturbatum trunco alligat, & inter ſatellites primus telum intorquet. Hiaromirius verò D. Io: Baptiſta inuocato, ęuadit incolumis, & Houoræ venatoris ſuperuenientis vocibus milites conglobati comprehendunt XIII. inſidiatores; Cochanus tamen fuga elapſus in *Poloniam transfugit, vt ibi Polonum* Dubrauius.
*docèret, ſua ſuorumq; gentilium opera eſſe factum, vt Hiaromirius, vel iam ſit mortuus, vel breui moriturus. Supereſſe vnicum Vdalricum ſucceſſorem, nunc in aula Cæſaris Henrici II. degentem, ad quem ſi in tempore legatè cum lautioribus donis mitterentur, Vdalrici quoq; potiundi ſpem non defuturam: quo ſublato, ſecuram deinceps illum, ocioſumq; in vtramq; aurem dormire poſſe. Probato Boleslaus vehementer conſilio, eodem tempore copias in Bohemiam deducendas contrahit, & Legatos ad Cæſarem proficiſci iubet, qui per inſimulationem rebellionis, ſeditioniſq; tradi ſibi in cuſtodiam Vdalricum poſtulent. Cæſar Henricus tametſi aliàs integer, ac pietate inſignis haberetur, tamen acceptis tunc muneribus tale quidam paſſus eſt, quale de Ioue cantatur, in hunc modum,* placatur donis Iupiter ipſe datis. *Cæterum hactenus precibus Poloni ſubſcripſit, vt ipſe in aula ſua cuſtodes ſuos Vdalrico adderet, nõ autem vt eum in manus Poloni traderet.* Imo ſcribit Martinus Cromerus traditum fuiſſe. *Vdelricum* (inquit) *alterum Boleslai filium ab Henrico Imperatore affini ſuo, qui tunc bello Gallico valde diſtrahebatur, petenti ſibi deditum,*

Sal. Anno 1005. *tum, cum in cuſtodia habuiſſet aliquandiù, non modò liberum, ſed etiam equis, veſtimentis, ſatellitibus, & viatico lautè inſtructum, domum remiſit, motus lacrymis, & pollicitationibus cognati adoleſcentis: & quod ſanctè is deieraret, ſemper ſe in poteſtate Regis Poloniæ futurum. Verebatur etiam Rex, ne ſi Rauitæ, vel fidem erga ſe mutarent, vel Populi conſenſum reformidarent; Iaromirus, cui propter ætatem paternus principatus debebatur, ex ipſorum cuſtodia elaberetur, & nouos cieret motus. Hunc ergo alterum beneficio ſuo ſibi obligatum ac dominandi cupidum, illi obyciebat. Is poſtquam ad ſuos peruenit, principatum ſuſcipit, Regi Polono obnoxium, ac tributarium: fratrem Iaromirum excæcat, quo minus eum metuat.* Vſque adhuc Cromerus diſſonus à Dubrauio, apud quem legimus, quod *Interea Vdalricus cuſtodes apud Henricum fruſtratus, in Bohemiam occultus venit, caſuq; dum per viã erat, in arcem Brecouienſis diuertit, ibiq; alios nonnullos equeſtris ordinis viros reperit. Qui omnes ad inſperatum Vdalrici aduentum gaudio elati, ſalutem ei, & libertatem gratulabantur benè ſperare iubentes.* Hæc omnia à ſubauſcultante corycæo relata Cochano, de Polonis non benè audiente, ipſius perfidam traxere mentem, vt Pragam, ſi poſſet Bohemo redderet. Fortuna arriſit. Praga recuperata, Iaromiro, & Vdalrico fratribus ſibi inuicem rem benè geſtam gratulantibus, repentè inter eos diſſidium oritur, vter eorum vendicaret Bohemorum Imperium. Iaromirius tanquàm ſenior; Vdalricus tanquàm victor, aderatq; ſua vtriq; factio, vt quando lis iure nequeat, pugna tranſigeretur. Vtriſq; obſtitit Theodorus Pragenſis Epiſcopus, vt æqua portione inter fratres diuideretur imperium. Diuiſionem priuſquàm perſicerent, perfidia Cochani agitatus Vdalricus, fratrem excæcat, vt indè ſolus regnaret. Ita ex *Dubrauio*. Sed in eo Cromerus falluntur, & Dubrauius, quod auro corruptus Henricus, hoſpitij violato iure Vdalricum Polono tradiderit hoſti. Simultates enim inter Polonum Regem, & Henricum Imperatorem ingruentes, haud ſuadent amicum tradidiſſe inimico, vt aduersùs ſeipſum fortiora inimici tela contorqueret. Quid ſcribat Eneas Syluius, lege. *Fuerat, & alter Boleſlao frater, Vdalricus nomine, quem pater Henrico Imperatori nutriendum dederat. Is audita Meſchonis proditione clam ab Imperatore dimiſſus, Caſtellum Dieuizum natura, & arte munitum ingreditur. Exin collecto raptim milite, colles occupat, qui Pragæ ſuperæminent, tubaſque clangere iubet. Mox alta voce præconem Pragenſibus nunciare, victos prælio Polonos fugam cæpiſſe, victorem principem cum exercitu adeſſe. Qua voce accepta Polonorum præſidium, quod vrbem tenebat, metu perculſũ exceſſit. Pragenſes aucti animo inſecuti, cõplures in fuga captos necauere, Meſcho cũ paucis in Poloniam ſe recepit. Vdalricus Pragã ingreſſus.* Hiſtor. Bohem. cap. 18.

## HENRICVS IMPER. HENRICVM COMITEM LIBERAT.

LXXVIII. Lib. 6. PRagæ cum B. Virginis natiuitatem celebraret Henricus, *Godeſcalcus* (ex Ditmaro) *Sanctæ Friſingenſis Eccleſiæ venerabilis Paſtor nomen cum re poſſidens Miſſam canere, ac Populos inſtituere ab eo præcipitur, & ab Epiſcopo ſedis illius, permittitur. Perlecto tum Euangelio, præſentes idem admonet de timore diuino, & de conſeruando geminæ dilectionis vinculo, & de obedientia Domini ſublimiorumq; honore poteſtatum, & ad vltimum Regem ſuauiter aggreditur, vt ſemet agnoſcere, & omnia, quæ à primis vitæ huius cunabulis, vſque ad hoc tempus honoris alicuius, aut commoditatis, vmquàm percepit, largitati diuinæ potiùs quàm ſuis meritis aſcribere voluiſſet. Inſuper miſericordiæ mentionem fecit, quæ vnicum eſt ſalutis præſidium, venerabile fidei ornamentum, & magnorum remiſſio peccatorum. In cuius opere ſeruando vnicuique Chriſto fidelium tria ſunt ſemper optanda, poſſe, & velle, ac perficere. Quæ cum à cunctis ſint adimplenda, ab his maximè, qui nullum lædentes, ſibi auent ſimilia, ad non recompenſare, & vt acceptabile ab his Domino votum fiat, ex corde debet vnumquodque largiri, & cunctis debitoribus remitti, ne mali vice ſerui diris aſtringantur tormentis. Et his concludens, te, inquiens, obteſtor per nomen, & amorem eius, qui ſuo debitori decem millia talentorum, ideſt, Iudæis recutitis ſuorum tranſgreſſionem præce-*

Sal. Anno 1005. *ctorum indulſit. Henrici quondam Marchionis, nunc autem vt ſpero vere pœnitentis, ſenior chariſſime, miſerearis, vincula ſoluas, & gratiam dones, vt eò liberiori animo hodie dominũ interpelles: dimitte nobis debita noſtra &c. Hac exhortatione, lacrymabiliter profuſa, placatus, ſic ſe facturum firmiter ſpopondit, & poſt hæc domum veniens miſericorditer adimplevit.*

## IN EXPVGNATIONE BVDISSINÆ VRBIS,

### Diuinitùs HENRICVS ab hoſtili præſeruatur ſagitta.

LXXIX. Dimiſſo Henrico Bauaro; Praga diſcedens Imperator, Bauaros domum remiſit. Ipſe verò cum Boiemorum Duce nouo, Milzienos, qui tum ſibi fuère proximi, terminos, per *ineffabilem itineris difficultatem adiens, Budiſſinam vrbem poſſedit. Sed cum in vna dierum vnumquemq; ſuimet fidelium ad expugnandam eandem incitaret, ab vno ſagittariorum è propugnaculis, ni diuina cuſtodiretur prouidentia, vulnere improuiſo cæderetur. Quod illi, qui ſecus ſe ſtabat proximus, nocuit, & propoſitum inimici in alio peregit. Rex autem eleuato ad dominum corde ſupplici, hunc laudat, qui ſolitam pietatis vigilantiam ſibi immeritò reuelauit. Vrbs verò præfata igne iam adportato combuſta iaceret, ni hoc Guncelini Marchionis iuſſio infauſta prohiberet. Vulnerantur inuicem multi, & nonnulli perempti ſunt. Ex noſtris autem, vnus nobilis, & genere, & virili conuerſatione, Hemuza nomine, cum vrbanos crebro certamine prouocatos, penè vſque ad muros inſequeretur, molaris dimidio lapidis per galeatum caput proſtratus, ab inimicis inſultantibus in vrbem mortuus trahitur. Huius cadauer Henricus Comes, frater meus, cuius miles fuit, pratio comparatum ad patriam reduxit. Alter verò qui ob aſſiduum venationis exercitium indomitus Tomrao vocabatur, dum in Spreuua flumine hoſtibus fortiter reſiſtit, torrentum lubricatione lapidum corruit, optimaq; diu protectus lorica, tardo tandem vulnere, proh dolor, oppetijt. Hunc vnus ex ſuis ſatellitibus, ne aliquo deduceretur, eum prohibere tentaret, enſpide perfoſſus, ſuper eum corruit. Prædicta belli aſperitate iam penè deuicta, iubente per nuncium ſuimet Bolizlauo, regia poteſtati vrbs ſaluis defenſoribus traditur; præſidioque nouo munitur. Poſt hæc Rex cum exercitu, itinere, ac inedia iam defatigato domum redijt.*

Ditmar. lib. 6.

## CELEBRATVR SYNODVS TREMONIENSIS.

LXXX. Magna Synodus apud Germanos celebratur hoc Anno, in loco qui dicitur *Throtmunni* vt apud *Ditmarum* legimus. Henricus in ea quæritur Eccleſia deformata, vrget morum correctionem, & legum reparationem antiquam. Obtemperatum piè creditur. Periere tanti Concilij Acta: horum tantum legitur exordium apud *Ditmarum*.

Lib. 6.

*Anno Dominicæ Incarnationis M.V. Anno autem Domini Henrici Secundi regnantis IV. in die Non. Iulij.* Reliqua deſunt.

## EXPEDITIO HENRICI IN BALDVINVM

### COMITEM FLANDRIÆ. *Sal. Anno* 1006.

Krant. Saxon. 4.c.31.

LXXXI. Lotharingiam cum hæreditario iure poſſideret Henricus; Flandrenſem Comitem Balduinum IV. cognomento *Pulchra Barba*, cui Filia Giſelberti Ducis Lotharingiæ nupſerat *iuuentus, & rerum affluentia* (vt ſcribit Ditmarus) *ac malâ iniquorum inſtatione aduerſus Regem armauit, & Valentianam vrbem poſſidere, poteſtatique ſuimet ſubdere, ſuaſit. Quod Rex vbi primum comperit, ipſe cum ſuis militaribus accedens, eripere eãdem aſſidua pugnatione tentauit, & nil proficiens, abijt, expeditionem ſuam in proxima æſtate ſuper Balduinum fieri Orientalibus, & Occidentalibus firmiter indicens. Aduenit optatum tempus, exercitus grandis colligitur, & à Rege cum eodem ad Scaldam fluuium peruenitur. Ibi ſe Balduinus armato milite præſentans tranſitum Regi prohibere fruſtratoria ſpe nititur,*




*nititur, ſed prudenti conſilio quorundam noſtri nauibus aliò latenter tranſuecti, eiuſdem nimiam præſumptionem, ex improuiſo irruentes, confundunt. Fugiente eo, Rex in Chriſto victore lætatur, flumen tranſgreditur, vicinitatemq; contiguam populatur. Cum autem ad Abbatiam, quæ* Gent *dicitur, veniret, à confratribus illius Eccleſiæ ſuſceptus, loco eidem,* LXXXII. *Balduinus reconciliatur.* *& bonis appertinentibus cunctis pepercit. Tandèm Balduinus magna neceſſitate coactus humili ſupplicatione veniam impetrat, & non longè poſt per manus Regis Vualecorn, & prænominatam vrbem in beneficium adpiſcitur.* Quo Balduinus deuinctus, ſtudio dehinc, ac fide erga Auguſtum nemini ceſſit, verùm in omnibus (ait Meierus) Cæſareæ obſequens Maieſtati, quoſdam in Lotharingia minus dicto audientes breui facere coegit imperatum, tantumque ab eo inijt gratiam, vt & Valachrias cum alijs Zelandiæ Inſulis dono accipere mereretur.

## CONCILIVM FRANCOFVRDIENSE:

In quo Imperator coram Epiſcopis flectit.

LXXXIII. IN gratiam Cæſaris Balduino recepto, generalem Synodum Henricus Francofurti conuenit, vbi ab omnibus Ciſalpinis Epiſcopis viſitatur. Quid in ea egerint? Ditmarus reſpondet. *Lib. 6.* *Cauſam verò præcedentem lector auribus accipe. Rex à puero quamdam ſuimet Ciuitatem Bauemberg nomine, in orientali Francia ſitam, vnicè dilectam præ cæteris excoluit, & vxore ducta, eandem ei in dotem dedit. Poſtquàm autem ad regni curam diuina miſeratione promotus, ſemper tacita mente ibidem Epiſcopatum conſtruere geſtit, ſed quia, vt Flaccus teſtatur, dimidium facti qui bene cepit habet, nouam ibi inchoat Eccleſiam cum cryptis duabus, & perfecit. Omnia autem, quæ ad diuinum pertinuere miniſterium, paulatim congregans, Henricum Vvirciburgenſem Epiſcopum, ſibi multum familiarem, vt propoſito animi ſuimet aſpirare voluiſſet, Parochiamque in pago, qui à Radinzea fluuio nomen ſortitur poſitam, concederet, ſibi concambio vendicandam, ſæpe rogauit. Dilecti ſenioris iuſtas petitiones Præſul benignè ſuſcipiens, ea ratione conſenſit, vt pallium ſuæ præmittens Eccleſiæ,*

Sal. An. 1006. Papebergenſem ſibi ſubderet paſtorem, hocque baculo ſuimet Regi dato, & quodam prædio pro commutatione præfata tradito, clam firmauit. Cum vero ſe Archipræſulatum nullatenùs adipiſci poſſe ſentiret, promiſſa complere renuens, ad concilium vocatus ſupra memoratum venire voluit. Conſidentibus ibidem ordine Archiepiſcopis cum omnibus ſuimet ſuffra-
LXXXIV. ganeis, Rex humo tenùs proſternitur, & à Vuilligiſo Antiſtite, in cuius Diœceſi Synodus habebatur, eleuatus, cunctis præſentibus talia fatur.

Ob recompenſationem futuram Chriſtum hæredem elegi, quia in ſobole acquirenda nulla ſpes remanet mihi, & quod præcipuum habui, meipſum cum modo acquiſitis, ſeu acquirendis in ſacrificium patri ingenito iam dudum ſecreto mentis obtuli. Epiſcopatum in Bauberga cum licentia Antiſtitis mei facere hactenùs concupiui, & hodie iuſtum hoc perficere volo deſiderium. Ob hoc ſereniſſimam veſtrimet interpello pietatem, ne abſentia eius, qui per me voluit obtinere, quod mihi non licuit huic concedere, propoſitum voluntatis meæ queat impedire, cum in baculo eius mutuæ confirmationis ſigno clareſcat, hunc non propter dominum, ſed ob dignitatis nullatenus adipiſcendæ dolorem fugiſſe. Moneat omnium corda præſentium, quod per ambitionem ſuam ſanctæ matris Eccleſiæ augmentum annullare, cum nugigerula negatione præſumit. Ad hæc firmiter conſtituenda, contectalis mea præſentis, & vnici fratris, & cohæredis mei, larga benignitas aſpirat, & ſibi placita adimpletione his me eadem reſtituere, vtique pro certo ſciat. Si quando autem Epiſcopus venire, & promiſſa dignatur ſuſcipere, paratum me ad omne, quod vobis bonum videtur, proculdubio inueniet. Finitis talibus alloquijs, Bernigerus, Antiſtitis Henrici Capellanus, ſurrexit.

Propter timorem Regis ſeniorem ſuum huc non veniſſe, & detrimentum Eccleſiæ, ſibi à Domino commiſſæ, in aliquo fieri, numquam laudaſſe, teſtatur, & obſecrat cunctos præſentes per Chriſti amorem, ne talia fieri abſente eo, futurum ſibi in exemplum, paterentur. Priuilegia eiuſdem ibi alta voce recitantur. Inter hæc quotiens Rex anxiam Iudicum ſententiam nutare perſpexit, toties proſtratus humiliatur. Tandem Archiantiſtite Vuilligiſo, quid de his faciendum foret iudicio perſcrutanti, Tugmo primus reſpondit, hæc tunc ſecundum Regis èloquium legaliter fieri poſſe. Cunctis præſentibus eius ſermonem tunc affirmantibus, & ſubſcribentibus, Eberhardo tunc Cancellario, cura paſtoralis à Rege committitur, & hic à præfato Archipræſule eodem die conſecratur. Poſt hæc autem Henricus Antiſtes auxilio confratris Heriberti, Regis gratiam, & adimple-
tionem ſibi placitam acquiſiuit. Porrò præter LXXXV.
Bambergæ Epiſcopium in eadem etiam vrbe duo magnifica cœnobia Imperator extruxit, vt ſcribit Sigonius; Quorum vnum S. Stephano dicatum Canonicis Auguſtinianis attribuit, alterum ſub nomine S. Michaelis Monachis Benedictinis indulſit.

## CORONATIO ROMANA HENRICO SANCTO Prædicitur. *Sal. Anno* 1007.

LXXXVI. ROmani Imperij hoc Anno confirmatio prædicitur, nec intelligitur. Vuolphangi fuit vaticinium, quod apud Surium
Die 31. Octobr. legitur. *Henrico (inquit Auctor) Regi antequàm eſſet Imperator, Sanctus Vuolphangus apparuit dormienti. Videbatur ille ſibi in ſancti Emmerani Eccleſia eſſe, atque orandi cauſa B. Vuolphangi adire ſepulchrum, ibi vero Deū, & S. Vuolphangum orans viſus eſt, ſibi videre eum aſtare, & hunc in modum ipſum appellare. Aſpice diligenter characteres in muro, qui eſt apud tumulum meum exaratos. Vidit ille nec aliud legit quam* POST SEX. *Expergefactus verò ſummoperè incumbebat ad earum dictionum apprehendendam ſignificationem. Primum igitur ſuſpicatus ſe poſt ſex dies moriturum, multa largitus eſt pauperibus. At ſex euolutis diebus, cum nihil in corpore ſentiret moleſtiæ ad ſex menſes attinere arbitrabatur, tumq; ſe obiturum credebat. Sed neq; tū male ſe valere ſentiens ad ſex annos dictionū ſignificationem retulit. Porro ſex annis iā impletis, ſeptimo anno à Pontifice Max. Imper. vnctus eſt: atq; tū demū animaduertens, quid ſibi ea verba vellēt, gratias egit Deo, et B. Vuolphāgo, quod ſibi reuelare dignatus eſſet ea ſe dignitate potiturū.*

HEN-

Sal. Anno 1007.

# HENRICVS CORPVS B. ROMVALDI

Defert ad tumulum.

LXX-XVII. SVb Anno Sal. 1007. erga B. Romualdi Reliquias Henrici inſculptam pietatē cum legis, non propterea me hallucinatum cum Baronio credas, vt ex eodem Caniſio (vndè præſens hiſtoria tranſcribitur) haud viderim adhuc viuente Othone III. accidiſſe. Cum enim *principatum tenēret ſuper Noricos* Henricus, & *poſt paucos annos Rex futurus Germaniæ ſedet, Italiæ Imperator* dicitur humeros ſuppoſuiſſe feretro: Ac ſepulchri clauem in *faſcibus conſtitutus imperij* in ſignum retinuiſſe triumphi. Huc igitur traduxi, non in annorum ſeriem, ſed veniam deerrantis. Fama itaque euolitante *virum Dei oppetijſſe, ex induſtria credentium apud Deum illum vixiſſe, in id rara miniſtratio rerum proceſſit, vt ſub feſtinatione ad exequias tanti patris concurreretur à multis, cum ſumma deuotione cordis. Inter quos erat Henricus hypatos tunc fortè principatum tenens ſuper populos Noricos, & Karinthios, poſt paucos verò annos Rex futurus non ſolum Germaniæ, ſiue Galliæ, ſed etiam Imper. totius Italiæ, atque Aug. Cæſar Ciuitatis Romanæ. Is aßumpto ſecum Gebehardo Epiſcopo, qui antea ſcilicet viro ex parte contrarius fuit, ſed tum teſte lacrymarum fonte, immutatus mente aduenit, ſeruo Dei in ſepultura humiliter obſequendo ſe ſeruum præbuit ſummo humilis dominorum domino. Nam in vnum congregatis, & ad funus pij Abbatis officioſè concinentibus peinè omnibus Ratisbonæ Deo ſeruientibus, ipſe Princeps proprijs humeris non erubuit feretrum portare, necnon acuratius ſepulturam parare. Demum introiuit foßam ſepulchri, & ipſe clauſit arcam, quæ iam ſuſcepit corpus viri Dei, ac ſibi clauiculam eiuſdem arcæ pro pignore chariſſimo elegit, & nihilominus poſtea in faſcibus conſtitutus regni, eandem ſemper ſecum velut inſigne triumphi reſeruauit.*

Moritur hoc Anno (vt ſcribit Sigonius) *Lib. 8. de Regn. It.* *moritur Tedald.* LXX-XVIII.
Tedaldus Marchio Vicarius Imperialis, *re-*



*Sal.* *liĉtis filys Bonifacio, & Conrado. Ex his Bo-*
*Anno* *nifacius tantas in Italia opes habuit, vt om-*
*1007.* *nium Principum Italicorum, fuerit longè illa*
*Bonifacius fil.* *tempeſtate clariſſimus. Fuit Canuſſij Comes,*
*Tedald.* LXXXIX. *Parmæ, Mantuæ, & Ferrariæ Marchio, &*
*Dux Thuſciæ perinde, ac pater eius Tedaldus.*
*Siquidem, & is titulum Ducis geſſit. Pater*
*fuit Comitis Mathildis, quæ poſt hæreditatem*
*omnem eius adiuit. In quibus illud animad-*
*uerſione dignum, cum horum etiam temporum*
*conſuetudo ferret, vt omnes ederent, qua quiſque*
*lege viuere vellent, Romana, Longobarda, an*
*Salica, Bonifacium Longobardam eſſe profeſ-*
*ſum, Mathildem verò Salicam: quod ex eorum*
*tabulis, quæ plurimæ in Eccleſia Mutinæ aſſe-*
*ruantur, cognoſcitur. Quod in patre, & filio,*
*non idem in viro, & coniuge obſeruatum: vn-*
*de in eorum tabulario per hæc tempora ſic ſcri-*
*ptum inuenitur. Maria, quæ profeſſa ſum le-*
*ge viuere Romana, ſed nunc prò ipſo viro meo*
*lege Longobardorum viuere uideor, qui profeſ-*
*ſus eſt ex natione ſua lege uiuere Longobardorũ.*

## ATHELBERVS FRATER IMPERATRICIS

In Imperatorem molitur. *Sal. Anno* 1008.

MOrtuo poſt Paſcha, (currente Sal. An-
no 1008. vt notat Herman. Contr.)
XC. Treuirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo venera-
bili Luidulpho, *Capellano eiuſdem Athelbero*
*Lib. 6.* ( ita Ditmarus ) *frater Reginæ, & immatu-*
*rus iuuenis plus timore regis, quàm amore reli-*
*gionis communiter eligitur. Rex autem vt hoc*
*audiuit, prioris non immemor in germano eiuſ-*
*dem Thiedrico non præmeditatæ conſtitutionis,*
XCI. *vxorem dileĉtam, cæteroſque ſuimet familia-*
*res, de Epiſcopatu eodem impetrando ſollicitos*
*ſpreuit, & Meingardo Vuilligiſi Archipræſu-*
*lis camerario, nobili ſecundùm carnem viro,*
*eundem dedit. Propter hoc ſubdolæ generatio-*
*nis furor accenditur. Palas,* vulgò Pfaltz, *à*
*Treuerenſibus contra Regem firmatur, ac terra*
*hæc haĉtenus pacifica crebris concremationibus*
*quatitur, & quidquid hi immites in Dominum*
*lenem priùs peccauerunt, æquali lance recepe-*
*runt. Quid hi omnes hic, & in futuro exami-*
*ne, diĉturi ſunt? quorum culpa ineffabili Ec-*
*cleſia mater incorrupta toties in filiorum ſuimet*
*nece, & diſpoliatione, gemens, lacrymas à ma-*
*xillis deſcendentes ante conſpeĉtum vindican-*
*tis Domini fundit. Tali præſumptione Rex*
*commotus, illo cum exercitu properat, Archian-*
*tiſtitem inthronizatum ibidem conſecrari. At-*
*helberonemque excommunicari præcipiens. Ob-*
*ſidione etiam continua eos, qui Palas turbarant,*
*in tantum conſtrinxit, vt fame, & aſſidua im-*
*pugnatione defatigati, aut interiùs perire, aut*
*in poteſtatem Regis inuiti deberent exterius ve-*
*nire. Quod ne fieret, Henricus Dux improui-*
*ſa caliditate impediens, exire eos illæſos apud*
*Regem obtinuit. Poſtquàm verò de his rei cer-* XCII.
*titudinem Rex inquiſiuit, grauitate mentis id*
*ferens, vt in ſequentibus referam, eſt vl-*
*tus.*

Accipit hoc Anno Vormacienſem Eccle- XCIII.
ſiam Burcardus; *qui in ſcripturis ſtudioſus* *Burcardus ca-*
( vt ait Sigebertus ) *magnum illud canonum* *nonum*
*volumen edidit, ſcripturarum ſententijs vndi-* *cõpilator.*
*que compilatis defloratum, collaborante ſibi in*
*hoc magiſtro ſuo Olberto Abbate, viro vnde-* XCIV. *Olbert.*
*cumque doĉtiſſimo.* *Abbas.*

Hoc tempore Vvigberto Epiſcopo Mer-
ſeburgenſi Ditmarus ſubrogatur, vt idem XCV. *Lib. 6.*
de ſeipſo teſtatur. Interea cum Ratisbonam *Ditmar.*
Imperator veniſſet, *Henricus Dux rebellionis* *Epiſcop. Merſe-*
*gratia Bauariam clanculum intrare præſumẽs,* *burgen. ibid.*
( in Treuirenſi expeditione defectionem erat XCVI.
molitus, vt ſupra vidimus in num. 92.) *in-* *Hẽricus rebellat.*
*terclusum ſibi aditum à prouida Regis ſolertia*
*vt primò perſenſit, mox fugiendo reuertitur.*
*Quocirca optimi Bauariorum Ratisbonæ regali*
*ediĉto conueniunt, & quamuis Duci ſuimet ad*
*tres annos ſe alterum non eligere omnes ſpontè*
*iurarent, tamen ob hoc à Rege iurgati, blandi-*
*tijs, & minis ab eius famulatu, & auxilio de-*
*ducuntur: ſibique ſpecialiter aſſumuntur.*

Legimus hoc anno Henrici Imperatoris
edictum Imperialibus indultum Eccleſijs
prò earundem, & perſonarum immunitate.
Ita Goldaſtus.

HEN-

# HENRICI II. CLAVDI IMP. AVG. EDICTVM
## De Iuriſdictione Eccleſiarum Imperij.

XCVII. HEnricus diuina fauente clementia Rex. Decreuimus præcipientes, vt nullus Iudex publicus, vel quislibet ex iudiciaria poteſtate in Eccleſias noſtræ regalis poteſtatis, & piiſſimorum Anteceſſorum noſtrorum Regum, vel Imperatorum mundiburdio, ac defenſione receptas, aut loco, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones iam dictarum Eccleſiarum, quas nunc infra ditionem Regni noſtri legibus poſſident, vel quæ deinceps in iura earum diuina pietas voluerit augeri, ad cauſas audiendas vel freda exigenda, manſiones, vel paradas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſarum Eccleſiarum francos, liberos, & Eccleſiaſticos litones maalmam, vel ſeruos cuiuslibet conditionis, ſeu colonos contra rationem diſtringendos, nec vllas redibitiones, vel illicitas euaſiones requirendas, vllo vnquam tempore ingredi audeat, aut bannum, ſiue heribannum, ſeu ea, quæ ſupra memorata ſunt ab illis penitùs exigere præſumat. Hominibus quoque famulatus earumdem Eccleſiarum facientibus, prædictum mundiburdium conſtituimus, vt etiam coram nulla iudiciaria poteſtate examinentur, niſi coram Præſulibus, & Aduocatis earum, quos eorumdem locorum Præſules elegerint, vel à nobis acceperint. Et per ſe Præſules in omnibus rebus ſuis noſtro fideliter pareant Imperio, ſub noſtra conſtent defenſione. Confirmamus quoque eorum locorum Fratribus, qui iure regio habent licentiam eligendi inter ſe Paſtorem dignum, & idoneum, ſaluo tamen Regis, ſiue Imperatoris conſenſu.

Guntherus Cancellarius vice Vuiligiſi Archicapellani recognouit.

Dat. Drutmanniæ 4. Idus Martij. Indict. ſeptima. Anno Domini Incarnat. MIX. Anno vero Regni noſtri ſeptimo.

# OLEVM QVOD ROMÆ SCATVRIIT. *Sal. Anno* 1010.
## HENRICO mittitur Imperatori.

XCVIII. CIrca Sal. Annum 1016. portenta quædam Ditmarus enarrans, ne illo crederentur Anno accidiſſe, tempora vt confuſa myſticè ſignat, inquiens, *rem quandam quæ in noſtris euenit temporibus, explano. Sereniſſimo Rege Henrico dominante. In arce Romulea, quæ omnium caput vrbium, ob diuerſarum qualitatem cauſarum, in vna Eccleſia, & in dextera parte Altaris, ab vno pauimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus, atque ſtupentibus oleum emanauit. Huius partem Ioannes, Creſcentij filius, in ampulla quadam Henrico ſeniori ſuo, & tunc Regi noſtro tranſmiſit, & quia oleum nunc pro miſericordia ponitur, vt illud: Oleum de capite tuo non deficiet: nunc pro adulatione, vt hoc oleum peccatoris non impinguat caput meum: in hoc ſigno clementiam rectoris noſtri abundantem, & illius patricij laſciuiam latentem perpendo. Namque is Apoſtolicæ ſedis deſtructor, muneribus ſuis, & promiſſionibus phaleratis Regem à Domino conſtitutum palam ſæpè honorificauit, ſed Imperatoriæ dignitatis faſtigium hunc aſcēdere multum timuit, omnimodiſq; id prohibere clam tentauit. Quia ſicut Sanctus Gregorius aſſerit: Terrena altitudo confunditur, cum celſitudo cæleſtis aperitur. Rex etenim noſter, quāuis homo eſſet, zelum Domini habuit, & ſanctarum violentas prædationes Eccleſiarum fortis armatus vindicauit: hancque benignitatem niſi cælitùs ſibi præſtitam, non habuit iſte terrenus, & natura, & actibus voragine cæmulenta traxit in prædam, quod multorum deuota manus ad aram Apoſtolorum pro peccatis congeſſit in hoſtiam: qui cum non longè poſt obiret, duplici ultione, vt vereor, confunditur, & Domino Papæ ſecuritas, Regique noſtro amplior poteſtas aperitur.*

# HVNGARORVM CONVERSIO EX NVPTIIS SORORIS
## HENRICI Cum STEPHANO Hungarorum Rege.

FAmoſa currens Annus Hungarorum ad fidem Chriſtianam conuerſione nobilitatur. Nam *gens Hungarorum* (vt ait XCIX. Sigebertus) *hactenus idololatriæ dedita, hoc*

*tem-*

*Sal. Anno* 1010. *tempore ad fidem Chriſti conuertitur per Giſlam Sororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi adhoc ſua inſtantia Regem adduxit, vt ſe, & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in baptiſmo Stephanus eſt vocatus. Cuius merita per Hun-*



*gariam multa miraculorum gloria commendat.* Et licet ſub Geiſa Stephani Patre lúmen fidei illuxiſſe ſcribat Epiſcopus Cartuicius, vt legitur apud *Surium* die 20. Auguſti, quem plurimi fide digni ſequutur Hiſtorici; tamen à communi opinione recedere non permittit Romanum Martyrologium, & Bulla Canonizationis S. Henrici edita ab Eugenio III. Papa Anno 1152. in quibus conuerſio Stephani, & totius Hungariæ Henrico tribuitur. Quod etiam Giſla fuerit San- C. cti Henrici filia, tum virginitas Sancti, cum hiſtoricorum concordia deceptum arguit Cartuitium; qui rerum Germanarum ignarus Giſlam Ducis Henrici filiam, S. Henrici Imperatoris dixerit; patri enim, & filio idem fuit nomen. De hac tamen conuerſione fuſiùs dicam in Annalibus Sacris.

CONSE-

Sal. Anno 1012.

## CONSECRATVR ECCLESIA BAVENBERGENSIS.

*Sal. Anno 1012.*

OCcaſione conſecrandi Eccleſiam Ba-
CI. uenbergenſem, Epiſcoporum pluſ-
quàm triginta celebratur conuentus. *In
qua Geuehardus* (vt habet Ditmarus qui Sy-
nodi interfuit) *Ratisbonenſis Eccleſiæ Præſul
ab Archiepiſcopo ſuimet arguitur, & Metenſis
Eccleſiæ Præſul Thiedricus à Rege increpatur,
eò quod Epiſtola ſuimet hunc iniuſtè apud Pa-
pam accuſaret. Sed hæc omnia; & multa
alia conſilio prudenti finita ſunt.*

## BENEDICTVS PAPA ROMA PROFVGVS

### Ad HENRICVM confugit. HENRICI Expeditio Italica III.

SErgio Pontifice mortuo, Benedictus cla-
CII. ues accipit. Sed Romanorum expul-
ſus perfidia, qui Gregorium delegerant An-
tipapam, ad Imperatorem Palithi (locus erat
in Saxonia non longè à Merſeburg) Redēpto-
ris natalia celebrantem confugijt. Clero cùm
innotuit, *ab omnibus Sacerdotibus* (ait Dit-
Lib. 6. p. 84. marus) *ſummis aduentus Regis admodum de-
ſideratur, ſed diuerſorum reluctatione hoſtium
diù tardatur. Benedictus ſit in cunctis operi-
bus ſuis Omnipotens Deus, qui Romam longo
tempore à multis temporibus depreſſam, tali pa-
ſtore conſolari, & pacificare dignatus eſt. Nā-
que Papa Benedictus Gregorio cuidam in ele-
ctione præualuit. Ob hoc iſte ad natiuitatem
Dominicam, ad Regem in Palithi venit cum
omni apparatu Apoſtolico; expulſionem ſuā om-
CIII. nibus lamentando innoteſcens. Huius crucem
Rex in ſuam ſuſcepit cuſtodiam, & à cæteris
abſtinère præcepit, promittens ſibi, cum ipſe illuc
ventret, hæc ſecundum morem Romanum dili-
genter finiri.* Superuenit etiam Arnulphi
CIV. *Henric. II. inuitatur in Italiam.* Archiepiſcopi Mediolanenſis Legatus, Hen-
rici ſollicitans aduersùs Ardoinum expedi-
tionem, qui *proſpero rerum* (vt ait Sigonius)
*geſtarum ſucceſſu inflatus, atque Henrici occu-
CV. pationibus inuitatus, Mediolanenſium agrum
populationibus, atque alijs detrimentis afficere
non deſtiterat, atque in eo arrogantius in dies
perſeuerabat. Quod cum Arnulphus Archie-
piſcopus ferre ultra non poſſet, nec ſatis uirium
ad eius ſuſtinendum impetum ſe habere ani-
maduerteret, Henricum per Legatos in Ita-
liam aduocat, agi non ſolum Mediolanenſium
commodum, ſed etiam ipſius dignitatem oſten-
dit, ſi ultra patiatur Ardoinum aut regnare,
aut clientibus ſuis inſolentiùs inſultare. Qui-
bus uocibus motus Henricus, continuò, rebus
alijs omnibus poſthabitis, omnia ad iter, atque
expeditionem Italicam neceſſaria comparat,
atque ineunte uere* (menſe Februario ſcribit
Ditmarus Henricum fuiſſe Romæ receptū) Lib. 6. p. 84.
*cum magnis pedeſtribus, atque equeſtribus co-
pijs in Italiam traijcit.* Et tertia Henrici
fuit in Italos expeditio, ſupputata tamen
prima, in qua licet ipſe abfuerit, Othonem
ſuum miſerat ProRegem.

Moritur hoc Anno Sal. 1012. qui fuit X. CVI.
Regni Henrici, Dux Saxoniæ Benno (vt
ſcribit *Helmodeus*) vir omni probitate con- Lib. 1. c.
ſpicuus, & acerrimus Eccleſiæ defenſor. Eius 16.
obtinuit Principatum Bernardus filius eius, CVII.
dominationis, non felicitatis, & probitatis *Bernardus tyrannides.*
ſucceſſor. *Ex illo enim tempore* (vt ait Hel-
modius) *quo Dux conſtitutus eſt, in hac regio-
ne numquam ceſſauit diſcordia, & perturba-
tio, quoniam Dux Henrico Imperatori rebella-
re auſus, totam ſecum ad rebellandum Cæſari
mouit Saxoniam. Deinde ſurgens in Chri-
ſtum omnes Eccleſias Saxoniæ terruit, atque
turbauit, illas præcipuè, quæ in memorata re-
bellione, quæ ſuæ malitiæ noluerunt applicari.
Acceſſit his malis, quod idem Dux tam pater-
næ, quam auitæ deuotionis, quam erga Slauos
habebant penitus immemor, gentem Vuinulo-
rum per auaritiam crudeliter opprimens, ad ne-
ceſſitatem paganiſmi coegit. Sane eo tempore
Slauorum Dominio potiti ſunt Theodoricus
Marchio, & Dux Bernardus. Illo quidem
Orientalem, iſto Occidentalem poſſidentem pro-
uinciam, quorum ignauia Slauos coegit fieri
deſertores. Rudes enim adhuc in fide genti-
lium populos, quos optimi quondam Principes
cum magna lenitate foueant, temperantes ri-
gorem, his quorum propenſius inſiſtebant ſaluti
iſti tanta crudelitate inſectati ſunt, vt ex eum*

Sal. Anno 1013.

*tandem ſeruitutis iugo libertatem ſuam armis defendere cogerentur. Principes Vuinulorum erant Miſtivvoi, & Mizzudrag, quorum ductu ſeditio inflāmata eſt. Sermo ergo eſt, & veterum narratione vulgatum, quod idem Miſtivvoi petijt ſibi Neptem Ducis Bernardi, & ille promiſit. Tunc inde Princeps Vuinulorum volens ſponſione dignus fieri, perrexit cum Duce in Italiam cum Equitibus mille, qui omnes fere ibidem ſunt interfecti. Cumque rediens de expeditione pollicitam ſibi mulierem expeteret Theodoricus Marchio inter cepit conſilium, conſanguineam Ducis non dandam proclamans cani. Quo ille audito cum magna indignatione receſſit. Cum ergo Dux mutato conſilio Nuncios poſt eum direxiſſet, vt concupitis potiretur nuptijs. Ille refertur tale dediße reſponſum, oportet quidem generoſam magni Principis Neptē præſtātiſſimo viro copulari non vero cani dari. Magna vobis gratia pro ſeruitio refertur, vt iam canes non homines iudicemur: ſi ergo canis valens fuerit; magnos morſus dabit, & hoc dicens reuerſus eſt in Slauiam, & primus omnium tranſiuit in Ciuitatem Rethre, quæ eſt in terra Lutitiorum: conuocatiſque omnibus Slauis, qui ad Orientem habitant, intimauit eis illatam ſibi iniuriam, & quia Saxonum voce Slaui canes vocentur. At illi merito, hæc inquiunt pateris, qui ſpernens contribules tuos, excoluiſti Saxones gentem perfidam, & auaram. Iura ergo nobis quod deſeras eos, & ſtabimus tecum. Iurauitque eis.*

## HENRICVS MEDIOLANI CORONATVS
ARDOINVM vincit.

BEnedicti Pontificis, & Arnulphi Me-
CVIII. diolanenſis Præſulis præcibus excita-
tus Henricus Imper. menſe Februario in vr-
be cum ineffabili honore ſuſcipitur, & *Ad-
uocatus S. Petri meruit fieri*, vt ſcribit Ditma-
Lib. 6. p. 84. rus. Qui ſuo aduerſus inſtituto Ditmarus,
hoc videtur Anno Italicam ſubterfugere ex-
peditionem. Inauguratum enim Mediola-
ni prætermittit Henricum, ſi aliqua Sigo-
Mediol. coronatur Henricus II. nio fides. Is enim ante Romanam corona-
tionem, Mediolanenſem præceſſiſſe ſcribit,
CIX. & cum Ardoino conflictum: vt ex ſequen-
tibus.

Henrici cognita aduerſus ſe expeditione,
minimè *Ardoinus ſe* (Sigonius) *lentius gerit,
verum armatus Veronæ in finibus ſeſe obijcit, ea
Ardoinū fugat ſpe elatus, quia prima ſucceßerant proſperè,
fortunam principia rerum facilè ſequuturam.
Verum ſua ipſum opinio longè fefellit. Nam
cum per multos dies acriter vtrinque pugnatum
eſſet, tandem virtute Germanorum pulſo, diſſi-
CX. patoq; exercitu fugatus vix Papiam euaſit in-
columis. Ex eo inde loco deiectus Eporediam
ſeſe retulit. Papia, quæ modico præſidio tene-
batur facilè in poteſtatem adducta*. Inermen
CXI. verò, & pacificum ſe recepiſſe Ardoinum ex
Ditmaro volūt alij, quia lib. 6. ſcribit *Boleslai
compar, & quondàm collega Harduuigus, à
Longobardis falsò Rex appellatus; aduentum
magni Regis, & potentiam exercitus doluit:
& quia ſuis viribus huic ad nocendum diffidit,
in Caſtelli munitionem ſe proximùs recepit: hoc
ſolùm ingemiſcens, quod Rex ad maiorem
tunc vocatus acceſſit honorem*. Poſt itaquè *lon-
gam animi exæſtuantis deliberationem, Lega-
tos ad Regem miſit, qui comitatum quendam
ſibi dari peterent: & coronam ſuimet cum filijs
eis redditurum veraciter promitterent. Hoc cum
(conſilio quorundam acquieſcens) facere Rex
noluiſſet (vt in ſequentibus enucleabo) ad ma-
gnum ſuis familiaribus prouenire damnum, id
poſtea perſenſit*. Hucuſque Ditmarus. Per-
git Sigonius *Ardoino præter cæteros Italiæ prin-
cipes Hugonem Marchionem, de quo diximus,
Ateſtinum laudis Italicæ ſtudio adductum CXII.
fuiſſe, atque ipſum cum Azone, & Opizone fi-
lijs ad Papiam prælio ſuperatum inuenio*. Vn-
dè habuerit? latet. Nam Chronologi Itali
diſſentientes nil certi exhibent. *His rebus
magna felicitate* (Sigonius) *adminiſtratis,
Henricus corona ab Archiepiſcopo accepta, con-
uentum in Roncalijs habuit, & Ciuitates, ac
Principes officia, quæ debebant, obedienter præ-
ſtantes indulgenter excepit, ac ſingulis homi- CXIII.
nibus iura ex legibus dixit: legeſque tulit, qua- Leges latæ ab Henrico II.
rum aliquot de veneficijs, & illicitis nuptijs ad-
huc extant*. In quarum vna hæc verba ſunt.
*Super hoc, dum in Regni vniuerſali conuentu
Longobardorum ſederemus, huiuſmodi legem
Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, alio-*

rumque

Sal. An. 1013. *rumque multorum conſenſu, & auctoritate probari ſancimus.* In altera hæc. *Cum in regni vniuerſali conuentu noſtrorum fidelium principum Italicorum ſederemus, orta quæſtione de illicitis coniugijs, conſilium noſtrorum principum, Archiepiſcoporum, Marchionum, Comitum, ac judicio judicum, ſeu conſenſu omnium judicantium huiuſmodi ſententiam definimus.*

Alias etiam Conſtitutiones apud Goldaſtum legimus de pacis turbatoribus; De alienam Epiſcopo turbante iuriſdictionem. De Parricidijs. Et ſunt.

## HENRICI II. CLAVDI IMPER. AVGVSTI CONSTITVTIONES.

I. De pacis turbatoribus, & homicidis.

CXIV. *SI quis intra treguam, poſt datum oſculum pacis aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam pro ſe facit, nec campionem pro ſe dare debet, niſi ſicut dictum eſt* ſupra.*

* ſcilicet in receſſu Veronenſi Othonis II Imper.

*2. Si quis vero conuictus fuerit, manum, qua homicidium fecit, amittat.*

CXV. II. Quando liceat alterius Clericum accipere, vel non.

*Vt nulli Epiſcopo liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu, ſine dimiſſoria Epiſcopi ſui, de cuius Parochia eſt.*

Hinc ne Cæſarũ ius arguas in rebus Eccleſiæ, ſed pietatẽ, vt Patrum canones armaret imperiali gladio.

III. De Parricidijs.

*Quicumque propter cupiditatem rerum, aut matrem, aut fratres, aut ſorores, vel nepotem, aut aliquem ſuum propinquum, per ſe, aut per alium interfecerit, hæreditas interfecti ad alios*
CXVI. *ſuos legitimos hæredes perueniat.*

*Hæreditas verò interfectoris in fiſcum redigatur, ipſe vero ordinante Epiſcopo publicæ pœnitentiæ ſubdatur.*

*Quod ſi ille, cui crimen mittitur negare voluerit, per ſe pugnam faciat, nec liceat campionem pro ſe dare, niſi decrepita ætas, aut iuuenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.*

Quibus rebus expletis (ait Sigonius) Lõbardiam inde luſtrauit: ac ſequenti Anno Rauennam profectus, Legatos ad Benedictum Pontificem miſit, quibus ſe Romam ire, & Auguſtalia ab illo inſignia accipere velle, oſtendit, ac protinùs eò ire contendit. Romæ fuit (ſcribit Ditmarus) *decurſis à Dominica Incarnatione poſt millenarij plenitudinem numeri annis tredecim, & in ſubſequentis anni ſecundo menſe, ac hebdomada tertia, anno autem Regni eius XIII. & die Dominica, ac VI. Kal. Mar.* Lib. 7. p. 85.

## HENRICVS CVM CVNEGVNDE ROMÆ CORONATVR.

*Sal. Anno* 1014.

Ditm. p. 85. lib. 7.

CXVII. ROmam cum aduenisset *Henricus Dei gratia Rex inclytus à Senatoribus duodecim vallatus, quorum ſex raſi barba, alij prolixa myſticè incedebant cum baculis, cum dilecta ſuimet coniuge Cunegunda ad Eccleſiã Sancti Petri, Papa expectante, venit, & antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, ſi fidelis vellet Romanæ patronus eſſe, & defenſor Eccleſiæ, ſibi autem, ſuiſq; ſucceſſoribus per omnia fidelis, deuota profeſſione reſpondit, & tunc ab eodem inunctionem, & coronam cum contectali ſua ſuſcepit. Priorem autem coronam ſuper Altare Principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit.* Inter inſignia imperij fuit etiam pomum aureum, in quo Aſia, Africa, & Europa pictæ erant. *Eodem die Papa eis*
CXVIII. *cœnam ad Lateranum fecit copioſam; In octauo vero die inter Romanos, & noſtrates magna oritur commotio in ponte Tyberino, & vtrinq; multi corruerunt, nocte eos ad vltimum dirimente. Huius rei auctores Germani tres extitere, Hug, Hecil, Ecilin, qui poſtea capti ſunt, & in cuſtodia detenti, ex quibus vnus in his partibus euaſit, ſecundus autem ad Tuldã deductus eſt, in VitKanſteine autem caſtello tertius diu ſeruatur. Arnulphum fratrem ſuũ, quem Rauennati antea præfecit Eccleſiæ Cæſar, denuo inthronizatum ab Apoſtolico ibidem conſecrari præcepit. Supplantatorem autem Ethebertum eius iniuſtè ibi diù ſedentem primò voluit degradare, ſed aſſidua piorum deuictus interceſſione, alteri præficitur Eccleſiæ nomine Aritia. In Rauenna duos, & Romæ totidem ſynodali juditio Papa depoſuit, ab Archiepi-*

Pugna inter Germanos, & Roman.

CXIX. Arnulfũ fratrẽ Epiſcop. deligit.

Sal. Anno 1014. *ſcopo Leone, iam muto conſecratos. Dominicam Reſurrectionem Imperator in Papia Ciuitate celebrans, inſtabilem Longobardorum mētem caritate cunctis exhibita firmauit.*

Lib. 6. p. 84. Hiſce peractis Ditmarus muſis amicus in aruſpices, qui iactantes caſus aperire futuros, aduerſus Henrici futurum bachati erant imperium, ita cecinit.

*Quem laudant ſuperi &c.*
*Verus mendaces confuderat hic modo teſtes,*
*Henricum Regem dicentes Imperialem*
*Curam non ſuſcepturum, nec denique longo*
*Tempore regnandum, ſed ſæua morte premēdū.*
*Nunc ſunt biſſeni, quod Regno præfuit, anni,*
*Scandens Cæſaream poſt Rector clarus in aulā*
*Illo menſe meam quo ſoluerat iſte cathedram:*
*Iſta dies pulcro ſignatur clara lapillo,*
*Qua Regi noſtro ſe ſubdit Roma benigno,*
*Atque liquore ſacro præfuſus gaudet, & almo*
*Fert grates Domino, qui ſe viſitauit ab alto,*
*Ac Cunigundam contectalem ſibi charam.*
*Summus Paſtor ouat, chorus atque ſuus quoque cantat.*
*Quod ſunt ſecuri, tanto rectore potiti*
*Mersburg, & tu concinnes omnibus actu.*

Lib. de reb. ad Miſſam ſpectant. Nec ſilentio donandum, quod de eodem Henrico ſcribit Berno Augienſis. *Cum Romanorum Presbyteri* (inquit) *ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur poſt Euangelium ſymbolum non canerent, me* (inquit Berno) *aſſiſtente audiui eos eiuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquandò vlla hæreſeos fece infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis ijs neceſſarium eſſe illud ſymbolum ſæpiùs cantando frequentare, qui aliquando hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſijt, quàm omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, vt ad publicam Miſſam illud decantarent.* CXX. Symbol. cur non canatur in Miſſa

Huc ſpectat Romanæ Eccleſiæ indultum priuilegium, quo obſoleta forſam renouauit iura Imperator à Pipino, Carolo, Ludouico, Othonibus Eccleſiæ quondàm Romanæ cōceſſa. *Eæ tabulæ* (inquit Sigonius) *adhuc leguntur, ijſdem propè verbis conſcriptæ, quibus Ludouici fuerunt.* CXXI. Lib. 8. de de Regn. Italiæ.

Subreptitia lector nè credas, ex aduerſarij domo deducere duxi: politica tamen pietate exarata fuiſſe autumare fas eſt. Quadam enim permutatione confirmat Henricus donationes Eccleſiæ factas; vt illi Pontifex coronam rependat imperialem.

## CONSTITVTIO HENRICI II. IMPERATOR.

De Regalibus B. PETRO conceſſis.

Apud Goldaſt. *IN nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Henricus Dei Gratia Imper. Auguſt. ſpondeo, atque promitto per hoc pactum confirmationis noſtræ, tibi B. Petro Principi Apoſtolorum, & clauigero Regni Cælorum, & per te Vicario tuo domno Benedicto Summo Pontifici, & vniuerſali Papæ, ſicut à prædeceſſoribus veſtris, vſque nunc in poteſtate veſtra, ac ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, Ciuitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis, atque viculis omnibus, & Territorijs eius montanis, & maritimis, litoribus, ac portubus, ſeu cunctis Ciuitatibus, Caſtellis, oppidis, ac viculis Tuſciæ partibus, ideſt Portum Centumcellas, Ceram, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum, Gallicenſe, Orthem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam, cum tribus Inſulis ſuis, ideſt, Maiorem, & Minorem, Paluſtra, & Lacum, Narniam, Vtriculum, cum omnibus finibus, & Territorijs ad ſupradictas Ciuitates pertinentibus; necnon & Exarchatum Rauennatem ſub integritate cum vrbibus, Ciuitatibus, oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis (Dominus Pipinus, & Dominus Carolus, & Dominus Ludouicus, & Otho, & itidem Otho filius eius, prædeceſſores videlicet noſtri B. Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris iam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt Ciuitatem Rauennam, & Aemiliam, Bodium, Ceſenam, Forum populi, forum Liuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, Adrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, Territorijs, atque Inſulis, terra, mariq; ad ſupradictas Ciuitates pertinentibus, ſimul, & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auſimum, Humanam, Eſim, Forum Sēpronij,*

Sal. Anno 1014.

pronij, montem Feltri, Vrbinum, et Territorium Beluenſe, Callem, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & Territorijs ad eadeſm Ciuitates pertinentibus. Eodem modo Territorium Sabinenſe, ſicut à prædictis Imp. anteceſſoribus noſtris Beato Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate, & eſt in partibus Tuſcis, Longobardorum, Caſtellum Felicitatis, vrbem veterem, Balneum Regis, Ferenti caſtrum, Viterbium, Orthem, Marthã, Bledam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſelles, cum ſuburbanis, atque viculis, & omnibus Territorijs, ac maritimis oppidis, ſeu finibus omnibus. Itemque Almus cum Inſula Corſica in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque Prouincia Venetiarum, & Iſtria, necnon & cunctum Spoletanum Ducatum, ſeu Beneuentanum, vna cum Eccleſia S. Chriſtinæ poſita propè Papiam iuxta Pedum quarto milliario. Item in partibus Campaniæ, Sora, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, necnon & patrimonium ad poteſtatem, & ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt patrimonium Beneuentanum, & Neapolitanum, atq; patrimonia Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De Ciuitate autem Neapolitana cum Caſtellis, & Territorijs, ac finibus, & inſulis ſibi pertinentibus, ſicuti ad eaſdem aſpicere videntur: necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo Ciuitatem Caietanam, & Fundum cum omnibus earum pertinentijs.

Super hoc confirmamus vobis Fuldenſe Monaſterium, & Abbatis eius conſecrationem, atque omnia Monaſteria, curtes, & Villas, quas in Vltramontanis partibus Sanctus Petrus habere dignoſcitur, abſque Aterna, Vumiteringa, ſiue Vuilenbanch, quæ à Sancti Petri Eccleſia per conuentionis paginam Epiſcopo noſtro Babembergenſi collatæ ſunt: pro quibus ſæpè dictæ Eccleſiæ Sancti Petri tranſcribimus, concedimus, & confirmamus omnem illam Terram, quæ inter Narniam Teramnem, vel Spoletum ex Regni noſtri parte habuimus.

Sub tuitione præterea Sancti Petri, & veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum prætaxatum Epiſcopum Bambenbergenſem offerimus, vnde ſub penſionis noſtræ debito equum vnum album phaleratum ex eiuſdem loci Epiſcopo vos annualiter ſuſcepturos ſancimus.

Offerimus inſuper, firmamus, & corroboramus tibi B. Petro, ac Vicario tuo Domino Benedicto, & ſucceſſoribus eius, prout bonæ memoriæ Papæ Ioanni, ſuiſque ſucceſſoribus à prædeceſſoribus noſtris Othonibus factum eſt, Ciuitates, & oppida cum piſcarijs ſuis, Reatem, Amiternum, Furconem, Narſiam, B.luam, & Marſiam, & alibi Ciuitatem Teramnem, cum pertinentibus ſuis.

Has omnes ſupradictas Prouincias, vrbes, Ciuitates, oppida, atque Caſtella, viculos, ac Territoria, ſimulque patrimonia pro ſtatu Regni noſtri, cunctoque Chriſtianorum Populo conſeruando iam dictæ Eccleſiæ tuæ, Beate Petre, Vicarioque tuo Benedicto, ac ſucceſſoribus eius, vſque in finem ſæculi eo modo confirmamus, vt in ſuo detineant iure, principatu, atque ditione; Simili modo per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Pipinus Rex, & poſtea Dominus Carolus Excellentiſſimus Imperator, ac deinceps Othones pijſſimi Beato Petro Chriſti Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt: necnon & cenſum, vel penſionem, ſeu cæteras donationes, quæ annuatim in Palatio Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſiue de Tuſcia, ſiue de Ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Adrianum Papam, & Dominum Carolum Imperatorem conuenit, quando idem Pontifex eidem de ſupradictis Ducatibus, ideſt, Tuſcano, & Spoletano, ſuæ auctoritatis præceptum confirmauit, eo ſcilicet modo, vt annis ſingulis prædictus cenſus ad partem Eccleſiæ Sancti Petri perſoluatur, ſalua ſuper eoſdem ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubiectione. Cæterum, ſicut diximus, omnia ſupraſcripta nomina, ita ad veſtram partem per hoc noſtræ confirmationis pactum corroborauimus, vt in veſtro permaneant iure, principatu, atque ditione, & neque à nobis, neque à ſucceſſoribus noſtris, per quodlibet argumentum, ſiue machinationem, in quacumque parte veſtra poteſtas imminuatur, aut à vobis indè aliquid ſubtrahatur.

De ſupraſcriptis vero Prouincijs, vrbibus, Ciuitatibus, oppidis, Caſtris, viculis, Territorijs, ac patrimonijs, necnon, & penſionibus, atque

cen-

Sal. Anno 1014

*cenſibus, ſed potius omnia, quæ ſuperius leguntur, jdeſt, prouineia, Ciuitates, vrbes, Caſtella, oppida, Terra, patrimonia, atque jnſulæ cenſuſque, & penſiones, ad partem Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, atq; Pontificum in ſacratiſſima Sede illius reſidentium, nos in quantum poßumus defenſores eſſe teneamur, ad hoc vt eam illi ditionem ad vtendum, atque diſponendum firmiter valeant obtinere, ſalua in omnibus poteſtate noſtra, poſterorumque noſtrorum, ſecundum quod in pacto, & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenij Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, vt omnis Clerus, & vniuerſi populi Romani nobilitas propter diuerſas neceſſitates, & Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubiectum aſperitates retundendas ſacramento ſe obliget, quatenus futura Pontificum electio, quantum vniuſcuiuſque intellectus fuerit, canonicè, & juſtè fiat, & vt ille, qui ad hoc ſanctum regimen eligetur, nemine conſentiente conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel vniuerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, futura conſeruatione, qualem Dominus, & venerandus ſpiritualis Pater noſter Leo ſpontè feciſſe dignoſcitur.*

*Præterea alia minora huic operi inſerendum præuidimus, videlicet vt in electione Pontificũ neque liber, neque ſeruus ad hoc venire præſumat, vt illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem Sanctorum Patrum, antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod ſi quis contra hanc noſtram conſtitutionem venire præſumpſerit, exilio tradatur.*

*Inſuper etiam, vt nullus Miſſorum noſtrorum cuiuſcumque impeditionis argumentum componere audent in præfatam electionem, prohibemus.*

*Nam, & hoc omnimodo inſtituere placuit, vt qui ſemel ſub ſpirituali defenſione Domni Apoſtolici, ſiue noſtra fuerint ſuſcepti, jmpetrata iuſtè vtantur defenſione. Quod ſi quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe incurſum.*

*Illud etiam confirmamus, vt domno Apoſtolico iuſtam in omnibus ſeruent obedientiam, ſeu Ducibus, & Iudicibus ſuis, ad faciendam juſtitiam,*

*Huic enim jnſtitutioni hoc neceſſariò annectendum eſſe perpeximus, vt Miſſi Domni Apoſtolici, ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis renunciare valeant, qualiter ſinguli Duces, ac Iudices populo Iuſtitiam faciãt.*

*Hanc Imperialem conſtitutionem quomodo obſeruent, qui Miſſi, decernimus, vt primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducũ, vel Iudicum fuerint inuenti, ad notitiã Domni Apoſtolici deferant, & jpſe vnum è duobus eligat, vt ſtatim per eoſdem Miſſos fiant neceſſitates emendatæ, aut Miſſo noſtro nobis renuntiante per noſtros nuncios à nobis directos emendentur.*

*Hoc vt ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & veſtris firmum eſſe credatur, propriæ manus ſignaculo, & nobilium Optimatum noſtrorum ſubſcriptionibus hoc pactum confirmationis noſtræ roborauimus, & ſigilli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.*

✠ Signum Domni Henrici glorioſiſſimi Romanorum Imp. Auguſti.
Signum Erchandildi Maguntini Archiepiſcopi.
Signum Heriberti Colonienſis Archiepiſc.
Signum Bobonis Treuirenſis Archiepiſcopi.
Signum Thiederici Metenſis Epiſcopi.
Ego Eberhardus Bambergenſis Eccleſię Epiſcopus, Romanæ Sedis ſubditus ſubſcr.
Ego Mazelinus Vvirzeburgenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Vvalterius Spirenſis Epiſcopus ſubſcr.
Ego Ruodardus Conſtant. Epiſc. ſubſcr.
Ego Rodalricus Curienſis Epiſc. ſubſcr.
Ego Adalbertus Baſilienſis Epiſc. ſubſcr.
Ego Hemmo Vverdunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Vvalter Heichſtedenſis Epiſc. ſubſc.
Signum Richardi Fuldenſis Abbatis.
Signum Arnoldi Herſfendenſis Abbatis.
Signum Brucardi Abbatis.
Signum Gottifridi Ducis.
Signum Beringardi Ducis.
Signum Thiederici Ducis.
Signum Simonis Comitis.
Signum Vvelphonis Comitis.
Signum Cunonis Comitis.
Signum Kunradi Comitis.
Signum Othonis Comitis.
Signum Bobonis Comitis.

Signum

Sal. Anno 1014.

Signum Frederici Comitis.
Signum Bezelini Comitis.
Signum Ezonis Comitis Palatini.
Signum Frederici Camerarij.
Signum Ezonis Infertoris.
Signum Heuzonis Pincernarij.
Signum Huzis.
Alimunbereger.
Adilman.
Adilbero.
Ego Vvizelius Aſtrazburgenſis Epiſcopus.
Signum Ryodhois Fluuanenſis Abbatis.

Roma inde in Lombardiam ſe retulit, ac Veronæ, & Papiæ agens, multa quoque Eccleſiæ, & Lombardis indulſit. Speciale illud eſt, quod Nouarienſi Eccleſiæ, Præſidente tunc in Epiſcopatu Petro, indultum apud *Baronium* legitur.

## DONATIO FACTA NOVARIENSI ECCLESIÆ
### Ab IMPER. HENRICO II.

CXXII. *IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina ordinante clementia Romanorum Imperator Auguſtus.*

*Dum fidelium petitionibus noſtræ imperialis celſitudinis aſſenſum præbuerimus, eos noſtro ſeruitio promptiores, ac deuotiores eſſe minimè dubitamus. Quapropter cunctorum Eccleſiæ Catholicæ fidelium, noſtrorumque tam præſentium, quam futurorum ſolertia recognoſcat. Petrum venerabilem virum Sanctæ Nouarienſis Eccleſiæ Epiſcopum, noſtrumque fidelem, qui noſtræ fidelitatis cauſa multa ſubſtinuit, famen videlicet, ſitim; æſtus, & frigus, & inſuper, & glacioſas rupes, colleſque ſatis aſperos, nudis pedibus perſequentibus inimicis, fugiendo ſuperauit, qui etiam nũc præſentialiter multa damna (Harduico deuaſtante) recepit, nam Eccleſiæ illius ſunt deprædatæ, caſtra diſrupta, domus euerſæ, vineæ inciſæ, arbores decorticatæ, inſuper plebes ipſius, & curtes ab Harduico pro beneficio, ſuiſque inimicis datæ ſunt, noſtram Imperialem adiſſe excellentiam, quatenùs pro ſui laboris recompenſatione, & ſuorum damnorum reſtauratione, quendam Comitatulum, qui in Valle Auxula infra ipſius Epiſcopatus Parochiam adiacere dignoſcitur, prædictæ Eccleſiæ Nouarienſi cum omnibus functionibus, quæ de ipſo Comitatulo publicæ parti pertinent, concederemus. Necnon etiam deprecatus eſt nos, vt quamdam plebem, quam olim malo ordine, & iniuſta ratione ſua perdidit Eccleſia, quæ ſita eſt in Villa, quæ nominatur Trecate, non adeo procul à Ciuitate: Curtem quoque, quæ Granalona dicitur quondam ipſius Epiſcopi continentem, ſed nunc iniuſtè peruaſa eſſe dignoſcitur, ſuæ Eccleſiæ reſtitueremus. Itaq; dignum eſt, vt ſui laboris prænominatus Præſul retributionem à nobis ſuſcipiat. Et quoniam iuſtum eſt, vt ſupranominata plebs, atq; Curs iam dicta ſuo reſtituatur Epiſcopatui, & vt alij noſtri fideles hoc cognoſcentes noſtræ fidelitati amplius ſtabiliantur, eius precibus annuentes, iam dictum Comitatulum à noſtro iure in eius Eccleſiæ poteſtatem omnino transfundimus, & perdonamus, & præfatam plebem, atque Curtem per hoc noſtræ auctoritatis præceptum iam ſupradictæ Nauarienſi Eccleſiæ reddimus, & concedimus, cum omni diſtrictu, & teloneis, piſcationibus, quæ in flumine Toxo, in illis ſcilicet locis, vbi ipſa Eccleſia ex vtraque fluminis tenet parte, & cum venationibus, ſeu omnibus rebus, quæ ad publicam partem ex eadem comitatulo exigi poſſunt, cum capellis, domo cultuli, maſſaritijs, caſis, ſeu minibus, campis, pratis, vineis, paſcuis, ſiluis, ſtallarijs, ſalicetis, paludibus, aquis aquarum decurſibus, molendinis, piſcationibus, cultis, & incultis, diuiſis, & indiuiſis, terminis, conceſſionibus, piſcarijs, comparicijs, alijſq; vniuerſis redhibitionibus, cum ſeruis, & ancillis, aldianibus, & aldianis vtriuſque ſexus, cum omnibus, quæ dici, aut vocari poſſunt ad iam dictam plebem, vel curtem, pertinentibus, vel reſpicientibus. Necnon, & portum de Beſtagno eidem plebi pertinentem, quem glorioſiſſimus Auunculus noſter Otho maior ſupradictæ ſedi per præceptum conceſſit; ita vt nullus Marchio, Comes, Viccecomes, Sculdaſius eius, ſeu qualibet magna, paruaque perſona homines iam dicti Comitatus, ſeu plebis, vel Curtis audeat diſtringere, aut intra ipſum Comitatum aliquid præſumant exigere, vel paratos facere, nec vllas redhibitiones acquirere, ſed liceat memorato Præſuli, ſuiſque ſucceſſoribus iam ſæpe dictum Comitatum cum*

*ſupra-*

*Sal. Anno 1014.* *ſupradicta plebe, vel curte tenere, & omnes homines ipſius comitatus, ſiue ipſius plebis, ſeu Curtis per ſe, vel ſuum Legatum diſtringere ſicut per nos, vel noſtrum Miſſum diſtringendi eſſent, & omnia, quæ de ipſo comitatu ad publicam partem pertinent, vel inde exigi poſſunt, & prætaxatam plebem de Trocate, atque curtem de Graualona cum omnibus ſuis appendicijs, vel pertinentijs, habeat, teneat, firmiterque poſſideat tam ipſe, quam ſucceſſores illius, qui illam, Deo fauente, & diſponente, ipſius ſedis cathedram ſuſcepturi ſunt, omni noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum, Regum, & Imperatorum, & omni hominum contradictione, vel diminutione remota. Si quis igitur hoc noſtræ conceſſionis præceptum nefariè auſu temerario violare præſumpſerit, centum libras auri optimi componere cogatur; medietatem palatio noſtro, & medietatem Nouarienſi Eccleſiæ, eiuſque Rectori, qui pro tempore inibi habebitur; & hoc vt verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſeruetur, manu propria ſubter confirmantes, ſigillique noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.*

Signum D. Henrici Sereniſſimi, Inuictiſs. Imp. Aug.

*Datum Anno Incarnationis Domini milleſimo vigeſimo quarto. Indict. XII. Anno vero Regni Domini Henrici Imp. Aug. XIII. Imperij Anno I.*

*Actum Trucuianæ feliciter. Amen.*

CXXIII. Confirmauit prætereà inſtante Abbate Caſſinenſi Atenulpho, *per præceptum aureo ſigillo munitum vniuerſas Monaſterij Prouincias* (vt ſcribit Leo Oſtienſis) *ſpecialiter* *In Cron. Caſſin. lib. 2. c. 31.* *autem, ac nominatim res comitatus Thermulenſis cum finibus ſuis, caſtra, Eccleſias, Curtes, cum omnibus pertinentijs: duo etiam Caſtella Cominenſis Territorij, ſcilicet Vicum album, & Sanctum Vrbanum alio præcepto, poſtquàm in patriam redijt, huic Monaſterio confirmauit: de quibus iamdudum Pandulphus Capuanus Princeps poſt patris mortem eidem Abbati fratri ſuo præceptum fecerat.* Indè in Germa- CXXIV. niam redijt. Hunc redeuntem magno excipiunt Germani triumpho. Conuenit eum S. Poppo Abbas Stabulenſis, ipſi ob egregia vitæ merita familiaritate coniunctus. *Ab illo verò* (vt ait Euerhelmus) *tam magnificen-* *In vita Poponis c. 9. apud Surium die 25. Ianuarij* *tia, quàm honorificentia regia Poppo eſt ſuſceptus, vt pote qui primum amicitiæ locum inter cæteros iam apud eum fuerat adeptus: cuius etiam ſanctitas humilitatem, manſuetudinemq; Imperatoris in amorem ſui ita accendit, vt etiam reuerentia dictante, magis parere, quaſi iuſſa ab eo, viſus fuerit, quàm rogata ab eo implere voluerit. Contigit etiam ludis* CXXV *Prohibet ſpectacula Henricus II.* *hiſtrionum Imperiales tunc fores occupari, atq; eo ſpectaculi genere Regem cum ſuis delectari. Vrſis enim nudus quidam membra melle perunctus exhibetur: illo plurimum pro periculo ſui timente, ne forte ab iiſdem vrſis ad oſſa ſua melle conſumpto perueniretur. Porro Rex eiuſdem ſpectaculi amore in ouilis ſuis ita captus tenebatur, vt malè prouidus pro periculo viri parum eſſet ſollicitus. Vnde ſuper tam iniqua in Chriſtianum illuſione Regem Beatus Poppo redarguit, eumque ab hoc ſpectaculo ſuis cum optimatibus, mox compeſcuit; tum etiam à periculo vrſorum virum liberauit: & ne id vltra fieret, arguendo, & obſecrando obtinuit. Henricus enim Imperator tam obſecrationi, quàm correptioni eius humiliter paruit: & quem honorificè ad ſe venientem ſuſceperat, honorificè etiam à ſe digredientem dimiſit.*

Plurima poſſem de Henrici erga iuſtos CXXVI. *In vita S. Odil.* inſerere pietate. Illud ne fugiat, cum Odiloni (teſte Damiano) Abbati Cluniacenſi coronam ſuam dono miſit, quam vrgente caritate in alendis pauperibus iſte erogauit.

## ABBATIS DEPOSITIO. ECCLESIARVM ERECTIO.

In Polonos Expeditio: *Sal. Anno 1015.*

CXXVII. ABbatis Vvalonis cum luxus Corbeios offenderet ciues (quia Chriſti patrimonium non in pauperum alimoniam, ſed auaritiam magnatum, & voluptuoſam vitam diſtribueret) inutili iam Cæſaris correctione fraterna, per Meuercum Padebornenſem Epiſcopum remouendum curauit educens; cum indè recederet, CXXVIII. *Baron.* tredecim Monachos Padebornam, vbi erecto Monaſterio ſub clauſtrali diſciplina repoſuit. Sic cum proſpiceret *fratres Fuldenſes* (vt ait Krantz.) *regalis Abbatiæ non rectè* *Metropol. 4. c. 6* *am-*

Sal. Anno 1015. CXX-IX. *ambulare in vijs regulæ ſuæ, multa illis prædia, tanquam luxuriem nutrientia, ademit. Factum eſt enim (quod hodie cernitur) vt incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquerit Deum factorem ſuum.* Fratres Fuldenſ. ſuperfluis expoliantur.

# ERNESTVS DVX ALEMANNIÆ

In venatione occiditur.

CXXX Hoc Anno 1015. Erneſtum Alemanniæ Ducem ab Adalberone Comite ſagitta occiditur, vt ſcribit Contractus. Hiſtoriam ſequentibus enarrat Ditmarus. *In diebus feſtiuis Erneſtus inclytus Alemanniæ Dux, pueri ſucceſſor Hermanni, cum in ſylua quadam illicitè venaretur, ab vno militum ſuimet plus ignorantia, quàm voluntate ſpontanea, vt ceruam ſagittare debuit, proh dolor vulneratur. Hic quia mortem ſibi imminere perſpexit, ſocios vocat, & vt reo parcerent ſupplicat, & quia hic tunc Præsbyterum, cui ſua* Confeſſio militi peccatorum facta. *confiteretur peccata, non habuit, vnum ex militibus huius vice propius accedere iuſſit. Quem* CXXXI. *cum adeſſe perſpiceret, omnes (inquit) accedite, & commortalis veſtri peccatoris facta, aure cordis percipite, & qualiter inuentur, vnanimiter ſuccurrite, abſentibuſque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quæſo commendate, & vxorem meam vt honorem ſuum ſeruet, & mei non obliuiſcatur, admonete. Hæc dicens in quoſcumque vnquàm ſe deliquiſſe recordari potuit, cunctis præſentibus innotuit, & mox de luce hac II. Kal. Iunij diſceſſit, ſepultus Vuirceburg iuxta patrem ſuum Marchionem Luipoldum, vt ipſe rogauit. Hic iuuenis, vt ſpero felicem habet animam, cui ſic ipſe viuens teſtatus eſt. Plus placuit coram multis hic erubeſcere, quàm coram Omnipotenti Deo latere.*

In Bolizlauum Polonum Belli recluduntur valuæ, nam verſipellis, & infidelis pacem ſimulabat, cum armatum Imperatorem offenderet. Repetebat hoſtilia, cum finito Marte, credulus, & pacificus recedebat Henricus. Vſque in Annum 1018. renouantur inſidiæ; in vrbe tandem *Budiſſin dicta* (vt habet Ditmarus) *à Gerone, & Arnulpho Epiſcopis, & à Comitibus Herimanno, atque Thiedrico, & Friderico ſuimet Camerario pax Sacramentis firmata eſt III. Kalend. Februar. non vt decuit, ſed ſicut tunc fieri potuit, electiſque obſidibus acceptis, præfati ſeniores reuerſi ſunt. Tranſactis autem quatuor diebus, Oda EKKihardi Marchionis filia, à Bolizlauo diù iam deſiderata, & per filium ſuimet Othonem tunc vocata, Zizā venit: et quia tunc nox erat, multis luminaribus incēſis, ab immēſa vtriuſq; ſexus multitudine ſuſcepta eſt, ac nupſit Duci prædicto poſt ſeptuageſima, abſq; canonica auctoritate, quæ viuebat hactenus ſine matronali conſuetudine, admodum digna tanto fœdere.* Expeditio in Bolizlauum. CXXXII. Lib. vii. p. 105. CXXX-III. Oda amata Bolizlao.

# BENEDICTVS VIII. PONTIFEX GERMANIAM PETIT,

Bambergenſem confirmaturus Epiſcopatum. *Sal. Anno* 1019.

CXXX-IV. AB Henrico Imperatore Pontificem Benedictum hoſpitio Babenberg ſuſceptum Sal. An. 1019. ſcribunt Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, Hermannus Contractus. Sigebertus verò ſub anno 1020. vt Bambergenſem confirmaret Epiſcopatum, quem Romanæ ſubiecit, & vectigalem CXXXV fecit Eccleſiæ, tractu poſtea exemptum temporis, vt Leo Oſtienſis ſcribit. Lib. 2. c. 46. *Hic idem Auguſtus ex proprij patrimonij ſumptibus conſtruxit Eccleſiam ad honorem S. Gregorij in Bamberga, & aduocans Benedictum Papam, ab ipſo illam conſecrari fecit, atque Epiſcopalem in ea ſedem conſtituens, B. Petro ex integro obtulit, ſtatuto cenſu per ſingulos annos, equo vno optimo albo, cum omnibus ornamentis, & phaleris ſuis, & centum marchis argenti. Poſtmodùm verò Leo nonus Papa, vicariationis ergo, Beneuentum ab Henrico Conradi filio recipiens, prædictum Epiſcopum Bambergenſem ſub eius ditione remiſit, equo tantùm quem prædiximus, ſibi retento.*

Placet dominationis illud arcanum, quod CXXX-VI. de Benedicto VIII. ex antiquioribus Baronius aperit. Germaniam petiſſe Pontificem, vt Henricum prouocaret ad ferendas ſuppe-

Pp tias

tias Romanæ Eccleſiæ aduerſus Græcos, qui pedetentim iam ſibi cuncta vſque ad Romanos fines vendicauerant, vel eorum dominos fecerant ſibi fideles. Pandulphus Capuanus Princeps Baſilio Græcorum Imperatori clam fauebat, & claues aureas ad illum miſerat ſe, & Capuanam vrbem, imo totum principatum Orientali ſubdens imperio; Vt refert *Leo Oſtienſis*. *Leo Oſtienſis l.2.c.39.*

# HERIBERTO COLONIENSI ARCHIEPISCOPO

Reconciliatur HENRICVS. *Sal. Anno* 1020.

CXXVII. OThone III. Imperatore ſublato, cum
Imperij inſignia è manibus Heriber-
ti Archiepiſc. Colonienſis arripuiſſet Henri-
cus; ſub cuſtodia retento Præſule, vſq; dum
ſacram lanceam reſtitueret, quam Colo-
*Lib. 4. c. 44.* niam clam præmiſerat vt ex *Ditmaro* ſupra
retulimus: nec eiuſdem coronationi inter-
fuiſſet Heribertus; ex tunc Imperatori ſu-
ſpectus erat, vndè obtrectatoribus Sancti
aurem præberet pronior, donec à Domino
redargui meruit paulò ante obitum Sancti.
Odium enim eò vſque proceſſerat, vt Impe-
CXXVIII. rator Coloniam peteret, vt eum pontificatu
amouèret, vel indignè tractaret. *At Deus*
*Rupert. Abb. in Herib. c. 26.* *maris* (vt habet Rupertus Abbas) *& fluctuũ*
*Dominus; non permiſit procellam hanc hucuſq; procedere, vt perficeret Imperator, quod intenderat, ſed occurrens ſubuenit ambobus, videlicet, & ei, qui patiebatur immeritus; & illi qui dè innocentis conſcientia malè ſentiens peccabat, errore deceptus.*

*Cauſa, propter quam tali eum animo Imperator Coloniam properabat, huiuſmodi extiterat: Imperator exercitu commoto, Comitem quemdam Othonem, ſæculi dignitate propellentem, in caſtro, quod dicitur Hamerſtein, ſito ſupra Rheni litus, obſederat. Is namque Otho Epiſcopatum Moguntinum multa infeſtatione ſæpè peruagans ferro, & igne populabatur, odio magno contra eiuſdem Ciuitatis Præſulem vehementer inflammatus fuerat namque ab illo propter illicitum connubium iudicio generalis Concilij anathematizatus. Cum ergo querimonia eiuſdem Præſulis excitatus Imperator prædicto in caſtro eumdem obſediſſet, venerabili huic viro demandauit, quatenùs & ipſe cum ſuis ad hoc negotium feſtinus adueniret. At ipſe tunc immenſis vexabatur febribus, & idcirco adimplere non valuit, quod imperabatur, quam impoſſibilitatem eius, & cauſam vt audiuit Imperator, non credidit, videlicet antiqua ſuſpicione præoccupatus, & putans illum ſemper exoſa ſui habere tempora Imperij. Reſpondens igitur cum furore, magnoque ſpiritu iracundiæ: Si, inquit, ad me dedignatur venire, ipſe eum, quia ægrotat, habeo viſitare, atq; cum hac iracundia mox vbi hoſtem impugnauit, Coloniam (vt iam dictum eſt) properabat, imminentibus, nimiumq; ſeſe ingerentibus inuidis ſupra memoratis, qui ſatis ardentem eius furoris ignem magis, ac magis flabant, linguis maleuolis detrahendo innocenti viro Dei. Sed quia tempus erat iam conſolandi, terminumque ponendi fluctibus illis, & tempeſtati diutinæ aduerſitatis, proſpiciens de Cœlo Dominus, ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Nam ipſa nocte, qua Coloniam ingreſſus, & officioſiſſimè à viro Dei erat ſuſceptus, cum ſe ſopori dediſſet, videt in ſomnis quemdam, quaſi venerabilem virum, pontificali veſte ornatum, qui illum ſic allocutus eſt. Caue (inquit) o Imperator, ne poſthac amplius pecces in conſeruum meum Heribertũ, ſcito illum Deo eſſe acceptum. In quem ſi quid admiſeris, tu ſine dubio portabis iudicium, nimirum gratia miſerentis Dei taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ eius pepercit, quia videlicet in eo; quod virum huiuſmodi ſuſpectum habebat, non malitia, ſed ignorantia peccabat, ſiquidem eiuſdem Imperatoris animum timor Domini poſſidebat, neque ſcienter diſponere, aut iudicare quidquam in Regno cupiebat, per quod cæleſtis offenderetur maieſtas. Denique cum aliquid de Regno diſponere, aut iudicare intenderet, diſpoſitiones omnes, ſiue iudicia ſua precibus, & eleemoſynis præueniebat, quatenus mens, & actus cæleſti regimine guberna-retur, ne quandò exorbitaret agendo, vel iudicando, quod diuinis contrahiret legibus. Rectè igitur ſecundùm intentionem ſuam diuino (vt iam dictum eſt) oraculo præuentus, & ſeruatus eſt, ne tantorum meritorum Pontificem iniuriando,*

Sal. Anno 1020. *riando, vt propoſuerat ipſe reus iudicio diuinitatis exiſteret.*

CXXXIX. *Quid multa? mane facto cum Imperator mente mutatus virum Dei aduocaſſet, & id, quod cælitùs euenerat, quod ſuperno reſpectu Rex compunctus fuerat, vir ſanctus adhuc ignoraret, ac proindè lacrymoſis oculis apud illum querelam deponeret, cauſas inquirens, propter quas tandiù Imperator infeſtus exiſteret: repentè quod non ſperabatur, idem Imperator exurrexit, & virum Dei amplexatus eſt. Ille admirans hæc pariter conſolationis ab eodem dicta excepit. Ex quo ad Regni faſtigium (Deo donante) conſcendi, detrahentium linguis nimium fateor, credulus, venerande Pater, te exoſum habui, & hanc odij trabem in oculo geſtans, & ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque Iuſtitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem videre non merui. Porro, te tacente, Cælum clamat ſuper te, tuamque cauſam defendit apud me, nam ipſe, qui de ſanctis ſuis curam habet ſemper, & habuit (ſicut ſcriptum eſt)* non reliquit hominem nocère eis, & corripuit pro eis Reges *dicens.* Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. *Ipſe me pro te corripuit, vt ſciam, quod inter electos eius computatus ſis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus ſum, vel quod te ſeruum Dei tangere deliberaui, quia peccatum meum agnoſco, nec amplius addam aduerſari tuæ ſanctitati.*

*His dictis, ſemel, iterumq; ac tertium Sanctum Pontificem deoſculatus eſt, triplicem nimirum nectens dilectionis modum, de quo ſapiens loquitur.* Funiculus triplex difficilè rumpitur, *& paulò inferiùs. Non contentus hac ſatisfactione Rex Religioſus, adhuc de iudicio diuino erat ſollicitus. Etenim is, in quem peccatum aliquod commiſſum eſt, præceptum quidem, vel conſilium habet euangelicum, vt peccanti in ſe ex corde ſuo dimittat, ſed adhuc timendus eſt ille, qui legem dedit,* quique per Prophetam dixit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, *de quo etiam ſcriptum eſt.* Mihi vindictam, & ego retribuam, *dixit Dominus. Benè ergo ſollicitus, & præterita reconciliatione non contentus, nocte ſequenti finitis Matutinorum ſolemnijs, aßumpto vno ex Clericis, idem Imperator cubiculum Sancti Pontificis adijt: ſed non ibi quieſcentem, verum in proximo Sancti Ioannis Oratorio vigilantem, vt ſolebat, & orationibus inſiſtentem reperit. Protinus abiecta clamyde, ſolo ſtratus, ante pedes eius in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſe ſuſcipi poſtulat, & ea poteſtate, quam Sacerdotibus ſuis Dominus contulit, veniam ſibi dari cunctorum, quæ in ipſum admiſerat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem proſtratum à terra ſubleuat, & Chriſto mediante, qui dixit,* Quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo; & quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo: *abſolutio culpæ ſecundum fidem Regis in Cælo, & in Terra peracta eſt.*

## IMPERATORI HENRICO II. MORS PRÆDICITVR.

### Clauſtrum HARDVICVS Petit.

CXL. Henrici pœnitentia delectatus, ferè debachatus in Domino Præſul Sanctus, diuino percitus œſtro, inter cætera cordis, & obitum aperuiſſe legitur. *Noueris* (inquit) *certiſſimè, quia poſt diſceſſum noſtrũ, quo nunc ſeparandi ſumus, noſtras inuicem facies iam in hoc ſæculo numquàm videbimus. Eò magis, magiſque Imperator corde compunctus, iterum in amplexus, & oſcula ruunt, flens pariter, & cuncta pænè membra, manus, & oculos, collum quoque fixis demulcens oculis. Hoc facto clam ad cubiculum redijt, mæſtam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quã, & poſtmodum, tranſitu eiuſdem ſubſequente; veram fuiſſe comperit, & ipſe, vt audierat, ore proprio enarrauit.*

Ad bellica redeamus. Quorum ſeriem ex Ditmaro, Sigonio, & Oſtienſi repetere liceat. Poſt Papiæ celebratum Paſcha, Imperator inſtabilem Longobardorum mentem malè audiens, in Germaniam redierat. Interim (& fuit Annus Sal. 1015.) Ardoinus CXLI.
Henrici erectus abſentia, Eporedia egreſſus Vercellas occupauit, Nouariam obſedit, Comum oppugnauit, Mediolanum ipſum hoſtilibus incurſionibus premit. Mortuoq;

1020. Haſtenſi Epiſcopo Ardericum fratrē Man-
fredi Marchionis Haſtenſis Romam conſe-
crandum miſit in Archiepiſcopi contume-
liam, nam ſi vetere inſtituto ſtaretur, ab Ar-
chiepiſcopo fuerat conſecrandus. Archie-
CXLII. piſcopus verò ad vlciſcendam autoritatis
iacturam, exercitum Haſtam adducit, atq;
acri adeò obſidione vrget, vt Epiſcopum, &
Marchionem ad ſe adire, ac ſupplices veniā
poſtulare compellat. Quod vt Ardoinus
audijt, nimio dolore grauatus, abdicato Re-
gno, *ſe in Fructeriæ Monaſterio in agro Tau-*
CXLIII *rinatium abdidit*: Arnulfus autem alacriùs
belli reliquias perſequutus, Comitem Hu-
gonem, & Berengarium, Mediolanenſem
agrum latrocinijs infeſtantes prælio fregit;
atque eorum bonis, Henrici permiſſu, Me-
diolanenſi Eccleſiæ adiudicatis, Archiepi-
ſcopum earum ditionum Comitem decla-
rauit. Inde Cremonenſes hoſtium fœdera-
tos obſedit, & ſibi deuicit. Hiſce motibus
agitabatur Italia: ſcribit Sigonius, mihi ta-
men ſuſpectus, ſi vera promit *Puricellus*
pag. 344. legiſſe in M. S. originali Arnulphi
contemporanei, & agnati eiuſdem Arnul-
phi Archiepiſc. Mediolan. non ab Ardoino,
ſed ab ipſo Henrico Imperatore Ardericum
CXLIV Manfredi fratrem Prælatum fuiſſe Haſtenſi
Epiſcopatui. *Dederat enim* (ſunt verba Ar-
nolphi) *Imperator Henricus Epiſcopatum cui-
dam Olderico fratri Manfredi Marchionis
eximij: quod factum Archipræſul Arnulphus
vehementer exhorrens; conſecrationem, quæ ſi-
bi competebat, omninò vetuit*. Inde deduce-
re ſtudet Emanuel Theſaurus in vita Ardoi-
ni *Annotat*. 579. deceptum Sigonium, dum
ſcribit Ardoinum dolore grauatum, abdica-
to Regno ſe in Fructueriæ Monaſterio ab-
didiſſe. Sed potius cum Triſtano Calco di-
cendum, quod Ardoinus pietate victus *more
Diocletiani, & Maximiani Cæſarum, depo-
ſuit imperium, priuatamque deinceps vitam
agens, conſenuit in Cænobio Fructeriæ*, quod
religionis voto ab eodem Ardoino extructū
Anno Sal. 1003. vult idem Theſaurus, iniu-
ria tamen Sancti Vvilhelmi, qui vt ſcribit
Rouerius *in vita* S. Vvilhelmi cap. 14. ſupra-
dicti Monaſterij, & Baſilicæ auctor fuit. *Ibi*
CXLV. *namque locari præcepit Baſilicam, quam præ-
ſente Ardoino Rege, cum aliquibus Epiſcopis
ſacrari iuſſit in honorem Genitricis Dei Mariæ,
ſanctiq; Benigni Martyris, atq; omnium San-
ctorum*. Haud tamen negamus eius Ardoi-
ni, & Bertæ vxoris adiutorio erectam Baſi-
licam, vt ex teſtamento eiuſdem S. Gulicl-
mi: in quo dicta Baſilica erecta dicitur *præ-
cipuè Ardoini Regis, & Bertæ vxoris eius ad-
iutorio*. Sic in libro priuilegiorum eiuſdem
Abbatiæ p. 24. *quod cænobium non ſine multo-
rum, & maximè Ardoini Regis, & Bertæ
vxoris eius adiutorio eſt fundatum*. Vbi cum CXLVI
coniuge tandem quieuit, non voto adſtri-
ctus Monaſtico, ſed habitum, & vitam vſq;
ad obitum agens regalem: vt in Adnotat.
584. ſcribit Theſaurus: hoc deducens ex au-
rea moneta, quam in erectione Eccleſiæ titu-
lo Natiuitatis B. Virginis, in fundamentis
repoſuit, ſic inſcriptam *Arduinus Rex* ab
vna: *Vvilhelmus ſeruus ſeruorum Dei* ab al-
tera: vt ſcribit Baldeſſanus *Lib*. 20. *Hiſtoriæ
Eccleſiaſt*. Propterea cum Ann. Sal. 1018. die
11. Martij Valpergiæ obijſſet; in Fructua-
rienſi cœnobio non Monachorum, ſed Re-
gum more cū regalibus inſignibus ſepelitur
à filijs; vt fidem fecit Cardinalis Bonifacius
Ferrerus, Abbatiæ Fructuarienſis Abbas Co-
mendatarius. Hic in viſitatione cum à ſe-
nioribus eiuſdem Monaſterij audiſſet in
marmoreo ſarcophago albo, retrò altare
quieſcere Ardoini Regis cineres, aperto tu-
mulo, cum oſſa videret regijs ornata inſigni-
bus, coronam tulit, ſceptrum, & annulum, CXLVII
quæ in ſuo Muſæo repoſuit, in oppido Cre-
uacorienſi, dilapidata tandem, & diſperſa,
cum oppidum illud expugnauit Amedeus
Princeps Pedemontis, Oſſa vero Ardoini ſa-
crilegio Vercellenſis Epiſcopi polluta ſub
terra abſcondidit, licet permittente Paulo
Grato, Gromo Ternengo Abbate Fructua-
rienſi, dicantur effoſſa à Philippo Aglienſi
Comite, vt religioſo decoraret ſepulcro. Ad
Henricum reuertamur à Pontifice in Italiā
reuocatum, vt Græcis obſtaret, qui iuncto
fœdere cum Sarracenis, Italiæ inhiabant im-
perio. Hiſtoriam breui ſtylo recenſet to-
tam *Leo Oſtienſis*. Cuius verba.

*Anno 1018. Cæperunt Normanni, Melo* CXLVIII.
*Duce expugnare Apuliam: qualiter autem, vel
qua occaſione Normanni ad has partes primò
deuenerint, & quis, vel vndè hic Melus fuerit;*

*& qua*

Sal. Anno 1021. & quæ de cauſa eiſdem Normannis adhæſerit, opportunè referendum videtur. Ante hos cir-
CXLIX citer ſexdecim annos, quadraginta numero Normanni in habitu peregrino (vtpotè à Hieroſolymis, vbi cauſa orationis perrexerant reuertentes) Salernum applicuerunt: viri equidem, & ſtatura proceri, & ſpecie pulchri, & armorum experientia ſummi. Quam à Sarracenis obſeſſam reperientes, accenſis nutu Dei animis, à Guaimario maiore, qui tunc Salerni principabatur, equis armiſquè expoſtulatis, inopinate ſuper illos irruunt, & pluribus eorum peremptis, cæteriſq; fugatis, mirabilem victoriam, Deo præſtante, adepti ſunt. Attolluntur ab omnibus in triumphum, donis à Principe ampliſſimis honorantur, vtque ſecum manere debeant, multis precibus inuitantur. Illi verò ſe amore tantùm Dei, & chriſtianæ fidei hoc ſe feciſſe aſſeuerantes, & dona recuſant, eo ibi manère poſſe ſe denegant. Tandem itaque prædictus Princeps conſilio habito, ſimul cum eiſdē Normannis Legatos ſuos in Normanniam dirigit, & veluti alter Narſes, poma per eos cedrina; amygdala quoquè, & deauratas nuces, ac pallia imperialia, necnon, & equorum inſtrumenta auro puriſſimo inſignita illuc tranſmittens, ad terram talia gignentem illos tranſire, non tam inuitabat, quam, & trahebat. Per eos dies duo magnates partis illius Giſelbertus ſcilicet, qui & Burtericus, & Gulielmus, cognomento Repoſtellus, acriter intra ſe diſſidentes, ad id tandem excidij deuenerunt, vt Giſelbertus Gulielmum occideret. Quod cum Robertus Comes terræ ipſius comperiſſet, vehementer iratus, mortem Giſelberto interminatus eſt. Giſelbertus igitur iram domini ſui præcauens, aſſumptis quatuor fratribus ſuis Rainulpho, Aſcilitrono, Oſmundo, atque Rodulpho, & aliquot alijs cum equis tantum, & armis, iuncti noſtrorum legatis, aufugiunt, & Capuã tandem perueniunt, vbi eo tempore prædictus Melus cum Pandulpho Principe morabatur. Hic itaque Melus (vt retrò aliquantulò redeã) Barenſium ciuium, immo totius Apuliæ primus, ac clarior erat, ſtrenuiſſimus valdè, ac prudentiſſimus vir. Sed cum ſuperbiam, inſolentiamque atque nequitiam Græcorum (qui non multo ante tempore ſcilicet primò Othonis Apuliam ſibi, Calabriamq; ſociatis in auxiliũ ſuum Danis, Ruſſis, & Gualanis vendicauerant) Apuli ferre non poſſent, cum eodem Melo, & cum Datto quodam æquè nobiliſſimo, ipſius Meli cognato, tandem rebellant. Verum cum exercitus, quem Imperator illo tranſmiſerat Barenſes reſiſtere non valerent, poſt non longum tempus turpitèr ſe, ſuaq; dentes, eumdem quoque Melum Græcis tradere nequiter conabantur. Quod prudentiſſimus vir aduertens vnà cum Datto clam fugit, & Aſculum intrauit, atque poſt paucos dies timens, ne etiam ipſi Græcis, qui eum obſidebant contraderent, noctu egreſſus cum Datto pariter Beneuentum venit. Indè Salernum, ac tandem Capuam, nullo interim otio indulgens, quin modis omnibus ſatageret, qualiter Græcorum dominationem abijcere, atque ab eorum tyrannide ſuam poſſet patriam liberare. Interea Barenſes captam vxorem ipſius Maraldam, & filium Argiro Conſtantinopolim ad Imperatorem tranſmittunt. Dattus itaque ad præfatum Abbatem Atenulphum veniens, cum apud eum, vnà cum vxore, & filijs diebus aliquot commanſiſſent, demum ob Henrici Imperatoris fidelitatem à Benedicto Papa in Turre de Garliano flumine, quam idem Papa tunc retinebat, poſitus eſt. Quam videlicet Turrem Ioannes Imperialis Patritius Caietanus filius Docibilis Hyppati pro Agarenorum diſſipatione temporibus Ioannis VIII. Papæ conſtruxerat. Melus igitur inter iſta Capuæ commorans, cognito prædictorũ Normannorum aduentu mox illos acceſſit, eorumque cauſa diligenter perquiſita, & agnita, illis de more militiæ protinùs fœderatur, & è veſtigio Salernum, & Beneuentum repedans, multos ſibi, tam Græcorum odio, quam ſui gratia addictos aſſociat, ſtatimq; Græcorum Terram ingreſſus, expugnare repugnantes viriliter capit. Tribus itaq; vicibus cum Græcis, primâ apud Arenolam, ſecunda apud Ciuitatem, tertia apud Vaccariciam campeſtri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit, multoſque ex his interficiens, & vſque Tranum eos conſtringens, omnes ex hac parte, quas inuaſerant Apuliæ Ciuitates, & oppida, recipit. Quarto demum pugna apud Cannas Romanorum olim clade famoſas, Bolani Catapani inſidijs, atq; ingenijs ſuperatus, vniuerſa, quæ facilè receperat, faciliùs perdidit. Feruntur in ea pugna Normannorum ex ducentis quinquaginta numero decem tantummodò cecidiſſe. De Græcis

autem

Sal. Anno 1021. *autem innumerabilem turbam occubuiſſe. Normannos ſuperſtites partim apud Guaimariũ, partim apud Pandulphum conſtituens, ipſe vltra montes ad prædictum Imperatorem abyt, vt ad expellendos Græcos, vel ipſum pro ſe ad has partes venire ſuaderet, ſi poſſet, vel militum ab eo auxilia acciperet, ſi non poſſet. Tunc temporis Vanafrani Comites in poſſeſſione huius Monaſteriy, quæ Vitecuſum dicitur ingredientes, Caſtrum ibidem, & in loco, qui dicitur Aqua fundata ædificare cœperunt. Quod dum Abbati Atenulpho nunciatum fuiſſet, miſſis militibus, illos de huius Monaſteriy finibus expulit,* Cap. 38. *& quæ ædificauerant à fundamentis euertit. Per hos dies prædictus Catapanus Bolanus conceſſit in hoc Monaſterio totam ex integro hæreditatem, vel ſubſtantiam Moraldi cuiuſdam Franenſis, tam intra eandem Ciuitatem, quam & deforis, vbicumq; ipſe aliquid poſſidere videretur. Itaque cum Capuanus Princeps latenter faueret Conſtantinopolitano Imperatori Baſilio, fecit interim fieri claues aureas, & miſit ad illum, tam ſe, quam Ciuitatem Capuanam, immo vniuerſum Principatum eius per hæc Imperio contradens. Prædictus præterea Bolanus non paruam pecuniæ ſũmam eidem Principi tranſmittens, rogat, vt ſi verè fidelis Imperatori Baſilio eſſet, permitteret ſe ad capiendum Dattum, tranſire: permiſſum eſt, & armato non paruo exercitu ad Garilianum venit. Turrem in qua datus, nihil tale ſuſpicans, reſidebat, per biduum oppugnans, vi tandem cum omnibus, qui ſecum erant comprehendit; & Normannos quidem, qui ibi fuerant ab eodem Bolano, prædictus Abbas multis precibus acquiſiuit. Dattum verò nullo vnquam modo ab eius manibus eripere potuit. Quem videlicet vinctum Barium reducens, poſt paucos dies inſutum culleo, more parricidarum, in medio mari præcipitari mandauit.*

## ITALICA HENRICI EXPEDITIO IV. IN GRÆCOS.

CL. NOrmannorum, ac Pontificis legatione excitatus Henricus, in Italiam deſcendit armatorum numeroſis phalangibus Anno Sal. 1022. vt ſcribit Oſtienſis. Leo Oſtienſ. l. 2. c. 39. *His omnibus* (inquit) *Auguſtæ memoriæ Imperator Henricus auditis, Græcorum ſcilicet inuaſione, Principis tergiuerſatione, Datti denique crudeliſſima nece, reputans amiſſa Apulia, ac principatu, Romam quoque ni maturaret, ac per hoc Italiam totam conſequenter ſibi, etiam in proximo amittendam (cum iam Melus bis ad eum hac de cauſa profectus, vltra montes defunctus fuiſſet) minimè ampliùs remorandus ratus: Anno Incarnat. Domin. MXXII. immenſo valde totius regni congregato exercitu, Italiam venit.* Priuſquàm verò in Italiam properaret, Germanorum principum conuentu habito (vt apud Goldaſtum legitur) ſequentia fatur.

## HENRICI II. IMPERATORIS AVGVSTI
### DECRETA Comitiorum ALSTETENSIVM.

*IMperator conuentum indicit Alſtetam: ibique, & cum Principibus alys, & in primis cum Saxoniæ Ducibus deliberat, de Italia vendicanda, cum victi ante annos decem Sarraceni, nouos iam motus cieuiſſent.*

*In illis Comitys, cum alia multa cum Saxonibus eſt honorificè locutus, tum illud dixit præcipuè, ſe poſt ſceptrum Imperiy, nihil habere in terris gente Saxonica carius.*

*Facta deinde mentio eſt collocutionis, quæ ante biennium ſuper Carum fluuium habita fuerat, inter Imperatorem, & Robertum Galliæ Regem: in qua de conſtituenda, & conſeruanda pace in Italia fuerat actum, eius fœderis Regem rursùs eſſe admonendum Principibus placuit.*

*In Sarracenos arma decreta, qui vrbem Troiam denuò tentauerant.*

Quid illi poſtea, cum veniret, acciderit? Petrum Damianum conſule. *Interea* (Damiani inquit) *Imperator Henricus de Vltramontanis partibus in Italiam veniens, miſit B. viro* (Romualdus erat) *deprecatoriam legationem, vt ad eum venire dignaretur.* Venienti *Rex protinus aſſurgens ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O vtinam*

Sal. Anno 1022. nam anima mea eſſet in corpore tuo. Quem
CLI. max ut loqueretur, ſuppliciter obſecrans, ipſo
diu hoc impetrare non potuit. Poſtera autem die
Romualdo in palatium ueniente, ecce Teutoni-
corum multitudo certatim hinc inde concurrunt,
capita ſalutantes humiliter flectunt, uillos quo-
que pellicea ueſtis, qua erat indutus, anxiè de-
cerpentes, prò ſacris reliquijs in patriam porta-
turi ſtudioſè recondunt. Quæ uidelicet res ue-
nerabilem uirum tanto mœrore affecit, ut niſi
diſcipulis obſtantibus acquieuiſſet, ad cellam
protinùs repedaßet. Ingreſſus igitur ad Re-
gem, non pauca ei locutus eſt de reſtituendo iu-
re Eccleſiarum, de uiolentia potentum, de op-
preſſione pauperum: & poſt multa unum pro di-
ſcipulis ſuis Monaſterium petijt. Cui poſtmo-
CLII. dum Rex Amiati Monaſterium tradidit, &
Abbatem, quia multis malis erat obnoxius fo-
ras eiecit.

Lib. 2. c. 39. Inde cum maxima (inquit Oſtienſis) eiuſ-
dem exercitus parte per Marchias tranſit, Ar-
CLIII. chiepiſcopum verò Poppum cum vndecim mil-
libus (vt perhibent) armatorum per Marſorum
regionem direxit. Belgrinum autem Colon-
nienſem Archiepiſcopum cum viginti millibus
ad Principem, & Abbatem capiendum per Ro-
mam præmiſit. Ipſe enim Abbas cum fratre
principe, inſimulatus apud Imperatorem ſuper
captione, & morte Datti plurimum fuerat,
quod cum Abbas amicis nuntiantibus perſenſiſ-
ſet, nuſquam ſe tutum poſſe conſiſtere à facie
tantæ poteſtatis exiſtimans, cum Marſorum
quoque Comites, & filij Borelli libentiſſimè ſe
illum recepturos pollicerentur, deliberato tan-
dem conſilio, iræ locum dare decernit, cupienſq;
Conſtantinopolim ad Imperatorem confugere,
Hydruntum mare ingreſſurus perrexit. Eiuſdē
interea Ciuitatis Epiſcopo B. Benedictus in vi-
ſione apparens: vade ait, & dic Abbati, vt
nullatenus hac vice mare pertentet, quoniam ſi
feceris, ſine dubio peribit, & ille quidem huiuſ-
modi viſioni minimè fidem accomodans, auda-
cter mare ingreſſus eſt, ſed vt verax prohiben-
tis tum charitas probaretur, occulta Dei diſpen-
ſatione, atque iudicio, cum omnibus ſocijs in
mare naufragium paſſus, atque demerſus eſt.
Quod cum fuiſſet Imperatori relatum, fertur
Pſal. 7. dixiſſe. Lacum aperuit, & effodit eum, &
ver. 16. incidit in foueam, quam fecit. Inter cætera,
quæ idem Abbas hinc egrediens ſecum auferens
aſportauit, nouem præcepta Imperatorum au-
rea Bulla bullata, necnon, & præceptum de ca-
ſa Gentiana, de Piſcaria Leſinenſi ſecum au-
ferens aſportauit, quæ omnia cum eo in maris
profundo demerſa ſunt. Belgrinus interea, CLIV.
quoniam Abbatem non reperit, verens nè forte, Leo Oſtienſ. l. 2. c. 40.
& Princeps fratris exemplo, fuga ſimili labe-
retur Capuam feſtinanter adijt, eamque mox
vndique armato milite cinxit. Princeps au-
tem metuens ciuium proditionem, quam pro cer-
to facturos eos ſciebat, ſponte ad Belgrinum
exijt, ſeque non ita (vt dicebatur) Imperatori
monſtrans eſſe culpabilem, iuſtitiam ſe coram
illo, de his vndè inſimulabatur facturum ſpo-
pondit. Lætus Belgrinus, accepto ſub cuſtodia
Principe ad Imperatorem abijt, vbi iam ſuper
Troiam Græcorum ciuitatem, quam eodem an-
no ijdem Græci facere cœperant, caſtra poſue-
rat. Exhilaratus itaque de Principis captione
Imperator, & aggregatis vniuerſis ſuis ma-
gnatibus, tam Italicis, quàm Vltramontanis,
in eorum iudicium inducit, accuſatoribus innu-
meris præſentibus, & eius nequitiam in fa-
ciem ipſius obijcientibus: decernitur vno omniū,
parique iudicio, mortis illum debere ſubire ſen-
tentiam. Verùm Belgrinus, cuius fidei ſe idem CLV.
Princeps commiſerat, dictam ſententiam ni-
mis grauiter ferens, ſupplex ad Imperatorem
acceſſit, & multorum adminiculo fretus, tum
orationibus, tum rationibus vitam ipſius obti-
nuit, ferreo tamen camo Imperator vincien-
dum, ſecumque in Germaniam aſportandum
mandauit.

Troiæ porrò longior obſidio, nam cum
in Beneuentana regione Imperator ciuitates
omnes expugnaſſet, & caſtra quæ Græci oc-
cupauerant; ad Troadem cum veniſſet, re-
bellantes (inquit Glaber) qui intus erant, diu Lib. 3. c. 1. apud Baron.
multumque ei reſtiterunt: nam ſperabant, vt
ſibi futura ætate, ſicut Græci promiſerant fore,
Baſilius Imperator ſuccurreret. Inſuper adij-
cientes, in tantum Henricum humiliari, vt pe-
des Baſilij territus pauore ſuſciperet. At ille cir-
cumdans Ciuitatem ſui exercitus obſidione in-
ſtruxit machinas, vt eam per vim caperet: illiq;
deinceps noctu egreſſi tulerunt ſecum faces pice
perlitas, igneq; ſuccenſas machina à foris cre-
mauerunt. Quod cernens Imperator, accenſus
ira, potiores reſtitui fecit machinas, crudoque
circundari corio, vigilantique cuſtodia iuſſit il-
los

Sal. An. 1022. *los tueri. Exacto igitur iam tertio obſidionis menſe, alterniſque cadibus vtrique nimium feſſi (namque exercitum Imperatoris diſſenteria clades oppido vexauerat) tandem obſeſſi meliori vſi conſilio, inuenerunt viam euadendi diſcriminis. Quadam autem die accipientes ſolitarium quemdam, indutum monachali habitu (quibus etiam Italia plurimum abundat) dederunt ei Crucem geſtare, miſeruntque poſt illum omnes Ciuitatis pueros minoris ætatis, ſicque exclamando. Kyrie eleiſon, deuenit ad Imperatoris tentorium. Quod audiens Imperator, iuſſit interrogari, quid ſibi vellent. Cumque reſponſum fuiſſet, quod miſereri à ſe afflictæ ciuitati implorarent, reſpondit: Optimè nouit ipſe, qui agnitor eſt cordium, inquit, quoniam magis, quam ego, horum paruulorum ſunt homicidæ; illacrymanſque iuſſit, vt ſalui in ciuitatem redderet. Fecerunt autem, vt iuſserat Imperator. Altero quoque die alterum primo mane proceſſerunt à Ciuitate, vt prius clamantes Kyrie eleiſon, vſque dum ſonoritas vocum illorum aures pulſaret Imperatoris. Qui ſtatim egreſſus tentorio, reſpicienſque pupillorum turbam, pietate permotus, vt erat vir ſa-*
CLVI. *pientiſſimus, voce dominica vſus ait. Miſereor ſuper turbam. Nam antè iam dixerat, quoniam ſi ei cõtingeret capere ciuitatem, quidquid maſculini ſexus inueniretur in ea, ſuſpenderetur patibulis, reliqua verò igne cremari, ipſius ciuitatis mœnia ad ſolum pertrahi, prætereà mandauit Imperator illis, qui in ciuitate cæteris præerant, vt ſi indulgeri ſibi ab eo vellẽt, iramque eius placare, ipſimet ſubuerterent partem murorum ciuitatis, quæ contra ſuas machinas rebellis ſtare videbatur. Qui audientes certatim impleuerunt, quod eis mandatum fuerat. Poſt hæc quoq; præcepit Imperator eos pacificè ad ſe egredi, murumq; Ciuitatis ab iiſdem reædificari, acceptiſque pacis obſidibus ab vniuerſis Regionis illius Prouincialibus, reuerſus eſt in Saxoniam.*

Troianis itaque deditis, cum *propter æſtiuũ tempus* (inquit Leo Oſtienſis) *gens* (Germanica) *continuis aſſueta frigoribus in partibus* Lib.2.c. 41.
*iſtis diù remorari non poterant, reditum in dies ſingulos maturabat. Veniens igitur Capuam* CLVII.
*Pandulpho Theanenſi Comiti tradidit principatum, Stephano autem, Melo, & Petro nepotibus prædicti Meli, quoniam propria illis recuperare non poterat, Comitatum conceſſit, quibus etiam in auxilium Giſelbertum, Conſtantinum, Balbum, Gualterium de Canoſa, & HugonemFalluca cũ aliis Normannis reliquit.*

# IMPERATOR CASSINI INFIRMATVR.

INde Italiæ rebus pacatis Montem Caſſini petiit. *Patiebatur eo tempore* (inquit
Oſtienſ. l.2.c.43. Oſtienſis) *Colici dolorem permaximum Impe-*
CLVIII *rator, atque vt ipſe poſtmodum referebat, quamuis nimiam circa hunc locum deuotionem gereret, eo nuſquam terribilius, ac venerabilius Oratorium ſe vidiſse aſſereret; ſæpius dubietatis ſcrupulo monebatur, vtrum nam Pater Benedictus corporaliter hoc in loco quieſceret. Præ dolore igitur iam dicto, nec plane dormienti, nec ex integro vigilanti Beatus Benedictus apparuit, & quaſi cauſa viſitandi ad eum accedẽs,*
CLIX. *vbi pateretur inquirit. Cui languorem protinùs confitenti: ſcio, inquit, Benedictus, quoniam tu me hactenùs hic dubitaſti quieſcere: ſed ne ſuper hoc amplius aliquatenus dubites, meumque in loco iſto quieſcere credas corpuſculum; hoc tibi ſignum erit. Cum primum hodie ſurrexeris, in egeſtione urinæ tuæ tres lapillos nõ paruos mingere habebis, & ex tunc dolore iſto amplius non laborabis. Ego autem ſum Frater Benedictus, & his dictis diſparuit. Euigilans Imperator confeſtim ſurrexit, & iuxta uiſionis ordinem ſanitati priſtinæ redditus, Deo, & Patri Benedicto gratias ineffabiles reddit.*

*Mane autem facto, ueniens in Conuentum fratrum, poſt Capituli uerba ſolemnia: Quid, inquit, Domini mei me conſulitis dare Medico, qui me curauit? Cumque reſponſum illi fuiſſet, ut quidquid ſibi placeret de Monaſterio ſe libentiſſimè dantibus, tolleret, ac Medico daret. Non ita, inquit, oportet, ſed quoniam Benedictus Pater hac nocte mei curam egit, oportet me de mea camera illius remunerare medellam. Et hæc dicens cum lacrymis gaudio miſtis retulit omnibus, quæ vidiſſet, atque audiſset, adiiciens: Nunc pro certo cognoui, quia venerabilis eſt locus iſte, eo nulli mortalium eſt vlterius dubitandum, quin cum ſorore*

pariter

Sal. Anno 1022.

pariter ſua, hic Benedictus Pater quieſcat. Ad
fidem autem verborum ſuorum tres illos lapil-
los, quos ſecundùm tenorem viſionis, ante pau-
lulum minxerat, palam omnibus oſtendebat.
Vniuerſis itaque ſuper tanta viſione, tamq; mi-
rabili, ac celeri ſoſpitate Imperatoris obſtupe-
ſcentibus, ac Deo laudes, & gratias referenti-
bus, obtulit ipſo die Imperiali munificentia
CLX. Beato Patri Benedicto munera Textum Euã-
gelij, de foris quidem ex vno latere adopertum
auro puriſſimo, ac gemmis pratioſiſſimis, ab in-
tus verò vncialibus, vt aiunt, litteris, atque fi-
guris auris mirificè decoratum. Calicem au-
reum cum patena ſua gemmis, ac margaritis,
ac ſmaltis optimis adornatum, planetam dia-
piſtin liſtis aureis adornatam. Stolam quoq;
& manipulum, atq; cingulum ſingula intexta
auro. Pluuiale etiam diaſprum cum liſtis au-
ro textis, necnon, & tunicam eiuſdem ſubteg-
minis aureis operibus exornatam: ſimul etiam
mappulam diapiſtin auro nihilominùs decora-
tam, ſitulum etiam, & coppam argenteam
CLXI. quantitatis non modicæ. Recollegit præterea à
Iudæis veſtem vnam de Altario S. Benedicti,
quæ quondam fuerat Caroli Regis, quam ijdẽ
Iudæi retinebant in pignore pro quingentis au-
reis, necnon, & calicem argenteum Saxoni-
cum maiorem cum patena ſua, quem Theodo-
ricus Saxonum Rex Beato Benedicto olim
tranſmiſerat, quæ omnia pariter in Fratrum
præſentia ſuper Altare Beati Benedicti ponens,
obtulit, prædictumq; Papam ſuæ auctoritatis
ſcriptionem de his omnibus in hoc loco facere ro-
gauit. Apoſtolici anathematis innodatione ei-
dem ſcriptioni appoſita, ne quis vmquam, vel
hæc, quæ diximus, vel alia, quæ in antea idem
Imperator huic Monaſterio conceſſerat, ſub-
trahere præſumat. Idem quoque Apoſtolicus
Imperatoris ſalutis valdè congratulans, obtu-
lit, & ipſe Beato Benedicto eodem die plane-
tam optimam veneti coloris liſtis aureis decen-
ter ornatam, & ſtolam vnam optimam auro
bruſtam cum manipulo ſuo, ſed & Belgrinus
Archiepiſcopus ob gratiam Imperatoriæ ſanita-
tis, ſimiliter obtulit Beato Benedicto planetam
purpuream optimam aureis liſtis, menſium
duodecim ſigna habentibus in circuitu, ador-
natam, & ſtolam cum auro, & pluuiale
vnum.

Poſthac idem Chriſtianiſſimus Imperat. ad-
huc parum quid æſtimans ſe præ nimia huius
loci dilectione feciſſe admonitus ab eodem Bel-
grino, & Theodorico Cancellario ſuo; altera
die fecit præceptum conceſſionis in hoc loco de
Rocca, quæ dicitur Vantra, cuius poſſeſſores, ac
ſi latrunculi quidam hoc Monaſterium frequẽ-
tiſſimè infeſtabant, ac propterea illam de ma-
nibus eorum ereptã ad vſus ſeruorum Dei huius
loci in perpetuum habendam, & retinendam
contradidit. Fecit, & aliud præceptum de
vniuerſis, vbique terrarum huius loci, poſſeſſio-
nibus iuxta tenorem videlicet Imperatorum an-
teceſſorum ſuorum, per quod etiam præceptum
Monaſterium Sanctæ Mariæ in Canneto in fi-
nibus Termulenſis imperiali auctoritate in hoc
Monaſterio confirmauit: ſicque commendans
ſe plurimum Patri Benedicto, & omnibus Fra-
tribus, cum illorum benedictione reuerſus ad
propria eſt. Et ne tanti benefactoris ſui bene-
ficium obliuiſci aliquatenùs videretur, mox vt
domum redijt planetam optimam diarodinam
aureis liſtis pulcherrimè decoratam, vna cum
alba, & cingulo, ſtola, atque manipulo, qualia
Imperatorem mittere deceret, huc ad B. Benedi-
ctum cum maximis gratiarum actionibus trã-
mittere ſtuduit. Tantaq; de cætero circa hunc
ſanctum locum deuotionis extitit, vt ſi aliquan-
to diutiùs viueret, relicto Imperij faſtigio Deo ſe CLXII.
ſub ſanctæ profeſſionis habitu hic ſeruiturum
ſponderet.

## HENRICI IMPER. CONGRESSVS CVM ROTBERTO GALLORVM REGE. *Sal. Anno 1023.*

EX Italia in Germaniam rediens Hen-
ricus Imperator cum Rotberto Fran-
corum Rege ſuper Carum fluuium apud
Euaſium conuenit, vt labanti, & deprauatæ
diſciplinæ ſua pietate ſuccurrerent; *Henri-
cus Imperator* (inquit Sigebertus) *& Rotber-
tus Rex Francorum ſuper Carum fluuium* CLXIII
*apud Euaſium conueniunt, de ſtatu Eccleſiæ,
Regni, & Imperij, tractaturi, & condicto vt
ſuper his confirmandis etiam Papam Roma-
num ſimul ambo Papiæ opportunè conuenirent.
Imperator, & Regem, & ſuos multos etiam*

Sal. Anno 1023. *liberalitate donauit, vt opibus Regum Perſarum, aut Arabum poßet comparari Imperatoris munificentia.* Huius porrò conuentus geſta ſi cupis, Glabrum conſule. Cuius verba. Lib. 3. cap. 2.




*Fuit etiam ei Rotberto Regi pax cum regibus in gyro regni ſui poſitis, maximè cum ſupradicto Imper. Henrico. Namque cum aliquando ad inuicem colloquendum ſuper Moſam fluuium, qui limes eſt vtriuſque Regni, conueniſſent, pluresque ex ambabus partibus inſinuarent, indicens eſſe, vt quis illorum tantorum ſcilicet Regum ſemet humilians; quaſi in alterius tranſiret auxilium: hoc etiam fore potiſſimum; vt*
CLXIV *in fluminis medium nauibus portarentur, ſimul locuturi. Sed viri eruditiſſimi illud vterque in*
Viſitatio no præuenit Imper. Regem Francorum mutuoq; *mente habens. Quanto magnus es, humiliate in omnibus: primo namq; mane ſurgens Imperator tranſit cum paucis ad Regem Francorum, nimioq; amplexu ſemet deoſculantes, ſacramẽtiſq; Miſſarum decenter ab Epiſcopis in conſpectu illorum celebratis, prandere vtriſque ſimul congruit. Expletoq; prandio, obtulit Rotbertus Rex immenſa munera auri, atque argenti, & pratioſarum gemmarum Henrico: centum inſuper equos honeſtiſſimè phaleratos, ſuper vnumquemque lorica, & galea, poſita ſcilicet: mandans inſuper tantum illorum amicitiam imminuere, quantum contingeret ex omnibus illi relinquere. At Henricus cernens amici liberalitatem, ſuſcepit ex illis tantum li-* CLXV.
*brum Euangelij, auro, & lapidibus pratioſis inſertum, ac phylacterium ſimile factum, continens dentem Sancti Vincentij Leuita, & Martyris. Vxor verò illius pares auri tantum naues accepit, catera autem egrediens in gratia dimiſit. Sequenti igitur die iterum Rex Rotbertus cum Epiſcopis ad Imperatoris tentoria tranſiens: qui eum ſatis ſublimè ſuſcipiens, expletoq; ſimul prandio centum libras ex auro puro ei obtulit. Rex quoque pares tantum inaures auri ex illo ſumpſit, firmatoq; vterq; pacto amicitia rediere ad propria.*

Hoc Anno plurima ſcitu digna notantur. Synodus Moguntina ex Germaniæ Epi- CLXVI
ſcopis, cui Henricus Imperator interfuit. Huius Concilij exciderunt Acta. Porrò ſummarium apud *Contractum* legitur; *Hoc Anno* (inquit) *conuenit Synodus Moguntina, in qua*

con-

Sal. Anno 1023.

*conſtitutum eſt, vt plebs Chriſtiana XIV. dies ante feſtum S. Ioannis Baptiſtæ à carne, & ſanguine abſtineat, niſi infirmitate cogente, aut feſtiuitate, quæ in illo Epiſcopio celebris habetur: ſimiliter XIV. dies ante Natalem Domini. Item ibi conſtitutũ eſt, vt vigilia Epiphaniæ, Vigilia Omnium Sanctorum, Vigilia Aßumptionis S. MARIAE, Vigilia S. Laurentij ieiunetur, itaut vna refectionis hora admittatur.*

Leges etiam ſeſe offerunt Eccleſiaſticæ, CLXVII quibus non tam ſingularem ſimultatem inter Vvormacienſem Epiſcopum, & Lauriſhamenſem Abbatem componere ſtuduit Imperator, quàm generalem diſciplinam ſeruare, & pacem reſtituere, quæ iam profuga à ſacris ædibus, & in foribus laicorum videbatur in procinctu. Sequens fuit conſtitutio.

# HENRICI II. CLAVDI IMPER. AVG. CONSTITVTIO

De Familijs Monaſterialibus, & Epiſcopalibus compeſcendis, vicinorumq; Abbatis, & Epiſcopi Iuriſdictione.

LCXVIII *IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Ego Henricus diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, notum facio omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus, quam, & futuris, qualiter aſſidua acclamatio noſtras aures inquietabat ob inueteratas, & frequentes contentiones, & ob immarcidas inimicitias, quæ ſemper erant inter Vuormacienſem Epiſcopum, & Laurishamenſem Abbatem, & inter familias vtrarumque Eccleſiarum, quæ iam in tantum conualuerũt, vt etiam innumerabilia inter ſe fierent homicidia, & in hoc maximum detrimentum vtraq; pateretur Eccleſia. Quapropter cum conſilio meorum fidelium id ordinare diſpoſui, quomodo tantæ diſcordiæ temerariam præſumptionem inter vtramq; Eccleſiam, & earum familias nunc, & impoſterum, aut omninò dißoluerem, aut impunitam non relinquerem.*

*In primis præcepi, & ad hoc peragendum meos nuncios miſi, vt omnis iniuſtitia, quæ iam per multa tempora ex vtraque parte incorrecta remanſerat ab Aduocatis illorum vtrimq; pleniter corrigeretur; & dehinc præuideant, ne talia apud illos ſic inueteraſcant. Et ſi aliqua noua contentio inter illos exorta fuerit, volo, vt conuenient, & quam citiſſimè poſſint, corrigant. Et ne talis, ac tantæ ſeditionis audacia ſine digna vltione inter vtraſque familias poſt remaneret, per huius cartulæ præceptum iſtud conſtitui decretum.*

*Si quis ex familia Sancti Petri Vuormacienſis aliquem ex familia Sancti Nazarij, vel è contrario aliquis ex familia Sancti Nazarij quemquam ſeruorum Sancti Petri inſequitur, & auſu temerario, & armata manu aliquem ad occidendum, vel ad deprædandum, eius curtem, ſiue eius domum infregerit, & eum oppugnauerit: & ſi ille aut aufugerit, vel quoquo modo ab eius poteſtate, ſeu impugnatione ſe liberauerit, aut ſi fortè domi non fuerit; illi, qui huius audaciæ, & inuaſionis Dux, & Princeps fuerit, tollantur capilli, & corium, & inſuper in vtraque maxilla ferro ab hoc facto etiam candenti bene carexetur, & comburatur, reliqui eius ſeguaces cute, & capillis priuentur.*

*Si autem ibi occiditur, omnes, qui huius homicidij, vel inuaſionis participes ſunt, cute, & capillis perditis, ſupradicta combuſtione ſignentur, ac Vuerigeldum occiſi domino ſuo auctor homicidij perſoluat, & cum proximis eiuſdem interfecti reconciliationem faciat. Et in quocumque loco aliquis ex vtraque familia ab vtriſque innocens occiditur, homicida ſupradictæ ſententiæ ſubiaceat.*

*Hanc vindictam, & illud meum conſtitutum aduocatus, in cuius aduocatione hoc euenerit, cum ſcientia Epiſcopi, & Abbatis in præſentia Nunciorum vtrorumque fideliter adimpleat. Si vero Aduocatus, aut mercede conductus, aut gratia commotus aliqua calliditate hæc decreta euertere voluerit, gratia noſtra, & aduocatione carebit, niſi ſuper ſacras reliquias hoc iurare audebit; Quod eum, qui homicidij, ſeu inuaſionis illius reus eſt, nuſquam acquirere poſſit, tam, quam citiſſimè poſſit, acquirat.*

*Et ſi homicida ex familia Epiſcopi eſt, & Aduocatus eum acquirere non potuerit, vel noluerit; fideles Abbatis, ſi poſſint, illum acquirant, & ad prædictam pœnam, præſentibus Nuncijs vtrorumque, repreſentent. Similiter fiat ex parte Epiſcopi.*

*Et de ſeruientibus Epiſcopi, & Abbatis il-*

Sal. Anno 1023. *lud conſtituimus, vt, ſi quis illorum tale aliquid fecerit, prædicta pœna ſubiaceat, vel decem libris denariorum redimatur.*

*Vnum autem eſt, quod volo, iubeo, & firmiter præcipio, vt rem ſemel benè, ac rectè definitam nullus renouare, vel iterare audeat.*

*Si autem prædictus Epiſcopus, aut Abbas hoc decretum annullare cupiat, mihi, vel meo ſucceſſori duas libras auri perſoluat; conatum tamen ſuum nequaquam perficiat. Et vt hæc cõſtitutio ſtabilis, inconuulſaq; permaneat, ſigilli noſtri impreſſione hanc cartam ſignari iuſſimus.*

Signum Domini Henrici Romanorum Inuictiſſimi Imperatoris Auguſti.

*Cuntherius Cancellarius vice Arribonis Archicapellani recognoui.*

*Datum IV. Non. Decemb. Indict. VI. Anno Dominicæ Incarnat. MXXIII. Anno Domini Henrici II. regnantis XXIII. Imperij autem Anno X. Actũ in Triburia, Regia Villa. Amẽ.*

## Sal. An. 1024. HENRICVS CONRADVM DESSIGNAT SVCCESSOERM.

CLXIX Morbo ingraueſcente, ſibi timens Henricus Germanos conuocauit proceres, a quibus conſultus, cum illi hæres non eſſet, quem Imperatorem eligerent? reſpondit. *Conradum Franconiæ Ducem, virum conſilio, manuq; promptum eligite*, ita ſcribunt *Sigebertus*, & *Otho Friſingenſis*. Digna Imperatoris electio, in qua quid Reipublicæ Principes debeant, edocentur. Æmulus erat Henrici Conradus, nec longè ab hoſtilitate contentio; cum de [illegible] amor trium [illegible] Reipub[illegible]

Peragrata Saxonia, quùm de Halberſtadio Goslariam peteret, *inde Gronden capit viribus deficere, & animo* (inquit Krantzius) *compoſito, ſacriſq; pro Chriſtiano ritu munitus, tranſiuit è ſæculo ad meliora. Mersburgi ſeruant calicem, quem libræ ferunt iniecisse Diuum Laurentium, quùm Imperatoris iam mortui trutinarentur bona cum malis. Anſam ferunt tum indignantem humani generis inimicum defregiſſe, quando nihil ſuum reperit in moriente.* Vſque adhuc Krantzius. CLXX. Saxon. 4.c.35. CLXXI



Sal. Anno 1024. *Super cæteras* (inquit Leo Oſtienſis) *autem bonitates, ſeu virtutes, quas idem Imperator habuiſſe narratur à Deo, fertur vixiſſe caſtiſſimus, vt ad mortis articulum veniens coram*
CLX-XII. *præſentibus Epiſcopis, atque Abbatibus, Cunegundem coniugem ſuam propinquis ſuis reſtituens, hæc illis dixiſſe fertur. Recipite quam mihi tradidiſtis virginem veſtram.* Cunegundis porrò cum poſt aliquos annos tumu-
CLX-XIII. laretur, vox de Cœlo intonuit. *Cede Virgini virgo locum.* Ita Krantzius. Saxon. 4.c.35.

Is fertur, *alioqui Rex optimus, & Chriſtia-*
CLXX-IV. *niſſimus, aliquando Zelotypia malo in caſtiſſimam coniugem laboraſſe* (inquit Kranczius) Saxon. 4.c.32. *quum illam ex delatoribus quiſpiam militi putaret propenſiorem, quàm Imperatori par eſſet. Id quum compertum eſſet pudiciſſimæ fœminæ, quod apud Regem ea ſuſpicione non careret, iuſſit igniri ferrum, & in conſpectu Regis candens deportauit, oſtendítq; viro manus intactas. Vt à te mi (inquit) vir intacta permanſi, ſic ab omni mare: pone ſuſpicionem. Ille ſanctiſſimæ fœminæ ad pedes prouolui incipiens, ab ea non ſinitur, veniam humillimè deprecatus.* Ad eius verò obitum reuertatur oratio.

# OBITVS HENRICI IMPER.

OBjit III. Idus Iulij Sal. Anno 1024. vt ſcribunt *Sigebertus*, & *Contractus*. Anno ætatis LII. Imperij XXIII. Menſe V. Porrò 1025. obijſſe dicit *Friſingenſis* apud Babenbergenſem Epiſcopatum à ſe conſtructum, quem omnium prædiorum, ac theſaurorum ſuorum hæredem reliquerat. In
CLXXV. Baſilica S. Petri ſepelitur: vt ſcribit Contractus. Henrici ſepulcro inciſam fuiſſe iuſtitiam, libram in manu tenentem, ſcribit
CLX-XVI. *Philippus in locis Manlij p.45.* Libra ita facta eſt, vt lingula bilancis non ſit in trutina, ſed declinet paululum ad alteram partem. De hoc vetus apud ipſos ſermo ſpargitur: quandò lingula in trutinam redierit, tunc adfuturum eſſe exitium vrbis.

*EPITAPHIVM.*

CLXX-VII. *Hic ſitus eſt, quem non capit Orbis, & arduus æther.*
*Diſce breui ſaxo ſidera quanta iacent;*
*Et titulum lacrymis informi inſcribe fauillæ:*
*Quæ rapit Henricum, mors mage digna rapi.*

Balduin. Cabill.

Eius pietatem, & religionem à Gotfrido Viterbienſi audias.

CLXX-VIII. *Henrici Claudi meritum ſolemniter audi*
*Cui decet applaudi, cuius merita porrigo laudi,*
*Sumptus ab arce ſoli regnat in arce poli*
*Coniuge virginea virgo permanſit, & ille*
*Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille,*
*Pauperibus, viduis, ſpes, via, vita fuit*
*Nunc & in altari cernimus ſua oſſa ſacrari*
*More ſalutari ſolemnia digna parari*
*Corpora debilium plurima ſana dari.*

Concordat etiam Reiſnerus in Iconibus Saxonum.

*Felix militia, vita caſtuſq; pius,*
*Sumptibus erexi ſplendida fama meis.*
*Fratres edomui Cunigunda coniugis ambos:*
*Flandria quandò ſubit capta, Metiſq; iugũ.*
*Sarmatica fudi iunctum cum gente Boemum:*
*Chriſtiadum docui Pannona regna fidem:*
*Quandò ſoror Stephano datur Vxor Giſela Regi*
*Cumq; Sarracenis arma cruenta tuli:*
*Quid Friſios, Henetoſq; loquar, victoſq; Pelaſgos?*
*Cœlitis hinc nomen prò pietate fero.*
*Magna fuit gentes bello frenaſſe ſuperbas*
*Gloria: ſed maior fama fuiſſe Pium.*

De Henrico Micylli Antiqua carmina.

*Hic Flandros, Leucoſq; domat, gentemque Boemam.*
*Hic Italum Argiuo liberat hoſte ſolum.*
*Idem, & Pannonios veri præcepta Tonantis*
*Edocet, hic diuum nomen, & ipſe gerit.*

De eodem.

*Hic felix bello, vita caſtuſq; piuſque*
*In numero meruit Henricus eſſe Deum.*

Henrici ſymbolus fuit. *Ne quid nimis.* Vt CLXX-IX. memor principij, cupidinem inter aulæ delicias hoſtem maximè indomitum frangeret, atque eneruaret, ne à fine aberraret æterno.

Alter

Sal. An. 1014. Alter ei ſymbolus fuit, *Mundi globus*, quem pes calcat, manus ſuſtinet, ſub lẽmate *terenda, an ferenda*. Eius vero anteceſſoris Henrici Bo. & Carinthiorum Ducis, Leo erat, ſuper quem iuuenis inſedebat, libram in manu tenens ſub lemmate *non vis, ſed ius*.







Eius animam pijs proſecuta coniux officijs, Monialibus Monaſterij *ad Confugia* dicti ita ſcribit. Ne menti itam Lector credas elegantiam; literarum enim, & artium gnara erat Imperatrix.

# EPISTOLA CHVNEGVNDIS IMPERATRICIS

## Ad MONIALES Monaſterij *Ad Confugia* dicti.

CLXXX. *CHunegundis diuina diſpenſatione ſolo nomine Imperatrix ſpecialiter dilectæ Congregationi ad Confugia, quidquid iuſtæ conuenit dilectioni.*

*Propria aduerſitatis ſarcinam, velut æſtimo, facilius tolerarem, ſi veſtras res ſaluas, incolumeſque exiſtere viderem. Quamuis enim mens procelloſis curarum fluctibus vndique quatiatur; veſtra tamen recordationis anchora à cordis profunditate non auellitur, & licet longe remotæ ab oculis ſitis, ab animo tamen numquã receditis. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? caſus doloris, an longinquitas remotionis. Quin enim, ſi amiſſæ facultatis vſus concederetur, voluntas hac operis exhibitione comprobaretur. Ipſum tamen modicum, quod adhuc Deo volente, reliquum tenemus, veſtræ communioni alienum eſſe nolumus, vt participatione paruitatis reueletur magnitudo deuotionis, mater namq; ſi paruum habuerit, parum filijs tribuit. Ecce hæc modici ſumptus munuſcula ad refectionem vobis mittuntur carnis, vt animam ſenioris patris veſtri continua alimonia orationis reficiatis, quoniam tot iuſtorum praces vnanimiter continuatę apud Deum multum poſſunt proficere, Iacobo atteſtante, multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Ille etiam, atque etiam iuſtus dominus, qui iuſtitias dilexit æquitatis ſupplicationem audire non reſpicit, ſed vobis indefeſſis intereeſſoribus ſupradicti chari memoriam facientibus, ſalutis dabit præminm, quod ipſe promittit dicens. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Atque bonum opus in conſpectu etiam Dei placitum eſſe cernitis, ſi non ſolum pro illis, qui in hac vita poſiti multa vobis bona: ſed pro illis etiam, qui nulla fecerunt, oraueritis. Obſecro ergo, vt eum à cordibus veſtris numquam abijciatis, qui vos tamquam proprias amauit, atque hunc locum veſtra ſeruitute florere voluit. Eſtote quoq; meæ neceſſitatis memores, ſemper in hilaritate cordis miſericordes, ſecundum illud Apoſtoli. Dilectio*

*ſine*

1024. *ſine ſimulatione, necnon veſtræ mentes in quandam mutuæ charitatis ſoliditatem magis, ac magis concreſcant, quatenus in die tribulationis clamorem veſtrum ipſius aures exaudiant, qui dicit. Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Quod vos omnimodè promereri hortor, eodem præſtante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

# CANONIZATIO HENRICI II. IMPER.

CLXX-XI. MVlta hic prætermittuntur miracula Henrici Sancti, quibus diuina clementia tanti viri merita comprobauit. Verum quia iuxta temporum ſeriem ad vitam Conradi euocamur, Eugenij III. Bulla finem imponat.

*Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ven. Fratri Engilberto Epiſcopo, & dilectis filijs Canonicis Bambergenſis Eccleſiæ ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.*

SIcut per literas, & Nuncios veſtros vobis mandaſſe meminimus venerabiles fratres noſtros N. Sanctæ Ruffinæ Epiſcopum, & N. Præsbyterum Cardinalem pro diuerſis negotijs ad partes illas de noſtro latere delegauimus, eiſque viua voce iniunximus, vt ad veſtram Eccleſiam accederent, atque de vita, & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis ſuis nobis ſignificarent. Nunc autem eorundem fratrum noſtrorum, & multorum Religioſorum, & diſcretorum virorum atteſtatione de caſtitate ipſius, de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum quarundam quoque Epiſcopalium ſedium reparatione, & multiplici eleemoſynarum largitione, de conuerſione Regis Stephani, & totius Hungariæ Domino cooperante per eum facta; de glorioſo etiam ipſius obitu, pluribuſq; miraculis poſt eius obitum ad ipſius corporis præſentiam diuinitùs oſtenſis multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum, & memorabile plurimum attendentes, quod cum diadema, ſceptrumq; Imperij ſuſcepiſſet, non imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit. In choro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ vſq; in finem vitæ conſeruauit. Quæ quidem nos omnia ſimul perpendentes, atque deuotionem veſtram, & Eccleſiæ Bambergenſis, quæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubeſſe dignoſcitur, diligenter conſiderantes, tametſi huiuſmodi petitio niſi in generalibus Concilijs admitti non ſoleat, auctoritate tamen S.R.E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atque eiuſdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, qui præſentes aderant conſilio communicato, memoriam inter ſanctos de cætero fieri cenſemus, & anniuerſarium ipſius diem ſolemniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt ſic in S. R. E. obedientia, & fidelitate perſiſtere, & ſic ei dignæ deuotionis obſequijs reſpondere, vt ampliori Beati Petri, & noſtra gratia digni inueniamini. Dat. Transtiberym pridie Id. Martij.

Moneta Henrici S. Imper.



BELLI

# BELLI ALEA

## CAPVT TERTIVM.

1 *An virtus plus poſſit, quam fortuna?*
2 *Fortunæ laus.* 4. *Româ alas depoſuit.* 5. *declamatio in fortunam.* 7. *ſi fortuna poſſet, omnia eſſent ſuperflua.*
3 *Cæſaris confidentia in fortuna.*
6 *Virtutis ſequaces.*
8 *Aurum quàm neceſſarium Reipublicæ.*
9 *Arma Reipubl. neceſſaria.*
10 *Turris Babel cur extructa.* 11. *An completa foret.* 12. *cur Deus reſtiterit.*
11 *Noes erat inter extructores* Babel.
13 *Romanorum fortuna, & Græcorum volauit ad Turcas.*
14 *Turcarum imperium quando ruere debeat, ſolus Deus ſcit.*
15 *Chriſtianorum peſſimus ſtatus.*
16 *Clericorum peſſimus ſtatus.*
17 *Tyrij catenas aureas Apollini cur iniecisſent?*
18 *Bellum vnde initiandum.*
19 *Muri ciuitatum Iuſtitia.*
20 *Romani Gentiles cur à Deo exaltati?* 27. *qua auctoritate bellum induerent.*
21. *Caim licet ſecurus ex promiſſione Dei, cur timèret.*
22 *Amuratus Turcarum Imperator Deum quomodo placaret.*
23 *Cum Ionas in Naui, fluctus iraſcuntur.*
24 *Belli Dux quid vidère debeat, priuſquam congrediatur?*
25 *Germanorum reſponſio ad Alexandrum, interrogantem quodnam in terris extimeſcerent?*
26 *Tubæ militares cur in manu Sacerdotum?*
28 *P. Claudius Bello victus, quia religionis contemptor.*
29 *Claudij ſoror optat Romam deſertam.*
30 *In Scala Iacobi Deus fortunæ ſequaces redarguit.*
31 *Conſtantinus M. in ſigno Crucis hoſtes vincit.*
32 *Theodoſij arma Crux, & Euangelium.*
33 *Rodulphus Imperator, Sceptro deficiente; Crucem arripit.*
34 *Clodoueus Francorum Rex ex inuocatione Chriſti, quem non agnoſcebat, hoſtes vincit.* 35. *In ſignum Victoriæ Templum erigit.*
36 *Francorum Regum antiqua inſignia. Lilia quando illis data?* 37. *Auri flamma Francorum quando perdita?* 38. *Virtus Regum Francorum ſanandi morbũ.*

i. VIrtuti an Fortunæ plus ſumma
debeant imperia, vt fuit, certamen erit. Vtriuſque inſimulator quandoq; non ſine
plauſu in Orbis declamauit
proſcenio: nam virtus pulcra licet, inutilis
tamen, cum ſatellitio deſtituta in ignauorum phalanges nequeat mouère lapidem.
Quid Hercules contra duos, inter Cæſares
Cato, inter Barchinos Hanno? Fortunà verò, bona quidem, ſed inſtabilis. Vnde ſterilis virtus, Fortuna infida. At quorum
ſunt iſtæ voces, quæ reſonant, & plauſus
ii. Io: Fortunæ introſpicere libeat; ſunt togæ,
phaleræ, paludamenta, prætextæ, thiàræ.
Placeat, percon̄ctari qui ſint? Darij ſumus
(inquiunt) & Tulli, & Anci Martij, & Timothei, quibus dormientibus regna ſe inſinuant: Cornelij Sillæ ex Nicopolis ſcorti
gremio ſublati, ſupra Cimbricos Marij triũphos: fortunæ adoptiui, vel naturales, &
genuini filij. Noſtro Numini nemo audeat
inficiari; triumphos enim præludimus ante
victoriam. Cæſarem inſpicite nauigantem, inter turbines, & aquilones, haud vela
ventis, ſed fortunæ dare. *Perge vir fortis* iii.
(aiebat) *reluctanti magiſtro, nec quicquam
metue, ſed vela fortunæ da, ventumque excipe confidens, nam Cæſarem vehis, & Cæſaris
fortunam.* Quia alatam, inſtabilem criminaberis, non propterea negabis plenipotentem. Reſpicias quandoq; & ipſam argenteas deponere pennas, & in gremio ſedère
nationum. Perſis deſertis, & Aſsyrijs, cum
leuiter peruolaſſet Macedoniam, celeriterq;
abiecisſet Alexandrum, Ægyptum percurrit,

rit, Syriam peragrauit, bis ſupra remeauit Carthaginem, Tyberi tandem traiecto
IV. Quirinale delegit, ibi alas depoſuit, talaria exuit, & verſatili globo proiecto Romam intrauit non viſura, ſed manſura ſedem permanentem. Io: Io: itaque Fortunæ, quæ Romam plantauit, quæ Romam irrigauit, quę
V. Romæ ſola incrementum dedit-*Edit*. Edit? ſed qualis Echo vaga duplicat murmur, & aduerſos iactat in aſtra ſonos? Romæ incrementum Fortuna non dedit, ſed edit? tot helluo deuorauit Imperia, gurges abſorbuit maria, ganeo terras contriuit? Romanorum igitur Numen venter ſit, vel fortuna. Tibi
VI. Fortuna mendax (exclamat Curtius) fortitudinem meam, cum ad ſalutem patriæ inferos calcaui ſolus, arrogabis? Num, & hanc fortunæ largieris ardentem manum Mutius Sceuola oſtentat vociferans. Num, & ego pedem claudum è profundo gurgite trahens M. Horatius, & fortuitò ſum mutilatus? oh Fabij, Scipiones, Marcelli, Fabricij, Camilli, Heroumq; phalanges aperite vulnera, ſtillate cruorem, cicatrices, plagas, manus, pedes, corpora, ſoluite animas, vt trophæa vindicent, quæ clam fortuna ſurripit, & fugitiua rapit. Regnorum fata, quæ noſtro fulgent exarata ſanguine, ſub fortunæ inſtabilis cadent imperio, quæ noſtri quondàm mancipium inter virtutum reſonabat choros, nullum abeſſe Numen, vbi prudentia adeſt. Si Reipublicæ Fata Fortuna premit, ad quid
VII. opes, arces, propugnacula, arma, prouidentia conduxit humana, vt imperiorum periodos protraheret; hiſce clauis ſortem figeret rotantem, hiſce fulcris Rempublicam ſuſtinèret ruentem? Munera cum crederentur homines placare, Deoſque, ſanctum
VIII. credidit ſacrilegium Saul, quùm Amalecitarum opima, ſed maledicta ſpolia ſurripuit, vt ſibi Deum amicum faceret de mammona iniquitatis. *Ciuitatis erarij conficiendi, quàm neceſſaria ſit diſciplina ex eo colligi poteſt, quod vetere prouerbio dicitur Reipublica neruos in pecunijs conſiſtere*. Dicite vos terræ
*Amian. Marcellin.* Principes, qui *ferro non caſu bella geritis* fortunam veneramini rotantem vel vno in gla-
*Iuſtin. lib.43.* dio (vt Alanis mos erat) conſarcinata reli-
IX. qua Numina colitis? Quid ſibi voluit, qui ſceptra tractauit Hæbraica cum ad Regnantes caneret, atque Dynaſtas, *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè?* en ipſe ſo- *Pſal. 44. n.6.*
luit, *ſagitta tua acuta* tunc *populi ſub te cadent*. Nonnè commilitones Leuitas, & Sacerdotes vnà, & arcam remiſit in Templum, *2. Reg. cap.15.*
cum fugeret à facie Abſalonis, quia fortiùs duceret loricis non ſuperhumeralibus hoſti occurrere parricidæ? Vt pugnant manus, ſic ſtrepunt voces: nec ignauià magna continentur imperia; ſed virorum armorumq; *Tacit.*
opus eſt Regi habere certamen. Hoc tanti fecère Romani vt liberorum charitatem, caſtrorum diſciplinæ poſtponerent: vnde decreuit Paulus, transfugam filium poſtliminio reuerti non permitti, *quia caſtrorum diſciplina antiquior fuit parentibus Romanis, quàm charitas liberorum*. *L.19. poſtlimi. num 5. 7. ff. de captiuis.* Liberi Noe Arca illa nondum egreſſi, quæ vna naui naufragum traiecerat Orbem, turrim cogitant; quæ conſpirationem elementorum illudat.
Aſtra ipſa cum tellus ſuſpecta crederet, tur- X.
ris culmen voluit Cœlum pertingere; vt non os, ſed manum in Cœlum vindicem poneret. Singuli homines fabricatores, & cæmentarij facti, quaſi ſummum æmularentur Opificem, nouum vellent orbem extruere, coquebant lapides, dolabant arbores, quadrabant marmora; abſorbebant flumina, æquabant montes in lapides: ſuccidebant ſiluas in trabes, non tam mirabili, quam peruicaçi, & inexorabili arte, vt infinitæ ſapientiæ nonniſi hyperboles eſſet ad explicandū, *nec deſiſtent, donec opere compleant*. Quaſi tur- *Geneſ. 11.*
rim perduxiſſent ad Cœlum, niſi extruenti- XI.
bus Deus obſtitiſſet. Sed quare reſtitit? & Mundi inuidit ornatui? vt ſuperbos (dices) deprimeret. Sed incredibile dictu Noachū, qui totum orbem trabe pietatis vnà ſuſtinuit, inſudaret poſtea, vt turrim extrueret, quæ foret ſuperbiæ pyramis, regia tyrannidis. Si Deus pacis auctor, cur homines concordes deſcendit, vt diuidat? *Venite deſcendamus, & confundamus linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui*. *Geneſ. 11.*
Chroniſta ſoluit: *Deſcendit Dominus vt videret Ciuitatem, & Turrim, quam ædificabant filij Adam*. Deſcendit vt videret? non ergo viderat. Si non viderat; quis geometra,
vel thalaſſometra longè ab oculis ſūmi Opi- XII.
ficis non turrim, regiam, domum, caſam

extruere poteſt; Quam cuſtodiant non filij Dei, ſed *filij Adam?* Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Vinciatur Orbis, vniatur homo, terra ſit labij vnius, & ſermonum eorundem; cor ſit omnibus vnum, & anima vna, cum Dei effugit aſpectum, diſſonat in diſcordiam. Ferrum, aurum, arces, ſtatiua Romanorum Fortuna domum æternitatis ędificare cœperunt; cogitarunt dies antiquos, & annos æternos; diem tamen æternitatis, nec vnam
Pſal.89. n.4. potuerunt implere. *Mille anni in conſpectu Domini, tanquàm dies heſterna quæ præterijt.* Reaſſumptis enim Fortuna pennis remeauit
XIII. ad Græcos, inter quos crapulata cum ſurgeret, Turcarum in ſinu Orbem euomuit. Turcarum itaque ſtabit imperium, quorum Fata amicè conſpirare videntur, vt protegant Virtus, & Fortuna? diu ſtare Summa negant. Vnus Deus, vna fides; ni illi adhæreant in præceps ſeſe cunctaq; regna dabunt.
Mar. 13. nu. 32. *Quando hæc erunt?* Sciſcitanti Chriſtus reſpondet. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit,*
XIV. *neque Angeli in Cœlo, neque Filius niſi Pater.*
Geneſ.6. Si Deum pœnituit quondàm hominem in terra feciſſe, quia omnis caro corruperat viam ſuam: quid nunc, cum in cętu Chri-
XV. ſtiano à planta pedis vſque ad verticem capitis ſanitas non reperiatur? Domum Dei factam ſpeluncam latronum, virgines inhabitant fatuæ, quarum lampades fidei, quia ſine oleo bonorum operum, extinguuntur. Fideles ſine operibus mortui, iumentis comparantur inſipientibus, & licet Altiſſimus, Os homini ſublime dederit, Cęlumq; videre; homo tamen cum in honore eſſet, non intellexit. Expergiſcimini Reges, erudimini, qui iudicatis terram. Data eſt enim à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis. Priuſquàm totum orbem impleat Otthomanica Luna, ſanguini parcite innocentium, nec puluerem conuertite ſuper capita pauperum, de vobis enim Dominus: *de-*
Pſal.13. *uorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Au-
Pſal.7. dite itaque Reges, & intelligite iudices terrę. *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Et niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit. Arcum ſuum tetendit, cum parauerit illum. Fugiamus Clerici, quia ſanctuarium XVI.
reſpicit. *Percutite, & à Sanctuario meo in-* Ezech.9.
*cipite.* Quando Sol, qui eſt principatus ſpi- Apoc.6.
ritualis, *factus eſt niger tanquàm ſaccus cilicinus*, nube diuitiarum turpiſſima. Claues Eccleſiæ ſunt in abuſu, & captiuitate; ſimonia graſſante, ambitu regnante. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudi- Eſai. 1.
cij, iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ? argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua? *Luna,* Apoc.6.
ideſt ſæcularis poteſtas, *eſt ſicut ſanguis*, quia cæde innocentium polluta. *Et Stellæ*, ideſt Paſtores Eccleſiaſtici, qui tanquàm lucerna ſupra montem poſita, in Eccleſia præfulgère debent, *De Cœlo*, hoc eſt de cœleſti conuerſatione *ceciderunt* ſuper terram, terrenę inhiantes cupiditati ad gloriam carnis, & incrementum ambitionis. Quid indè? præ- Eſai. 3.
ludit Dominus. Expectaui, vt vinea mea faceret vuas, ſed fecit labruſcas. *Et nunc oſtendam vobis, quid faciam vineæ meæ*, ideſt Eccleſiæ, quam plantaui ſuper filium hominis. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, & ponam eàm deſertam, non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres, & ſpinæ. Et ne de antiqua Synagoga myſticum, & literalem ſenſum doloſè cõtorqueas, en Chriſtus in Euangelio; quamobrem *Dominus vineæ*, qui eſt Chriſtus IESVS, *veniet, & perdet colonos*, ideſt Matth. 12.
Eccleſiaſticos, *& dabit vineam alijs.* Sic infra: *Dominus vineæ malos perdet, & vineam* Matth. 21.
*ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Transferam me ad alias* (in Eſdra Dominus clamat) *gentes, &* Lib.4.c.1.
*dabo eis nomen meum, vt cuſtodiant legitima mea, quoniam me dereliquiſtis, & ego vos derelinquam.* Quæ ſunt iſtæ gentes? Væ Italiæ, væ Romæ, væ Chriſtiano populo. Abſit vt Methodij impleatur vaticinium, quod de Turcis præconizauit. *Futuri ſunt filij Iſmael, vt exeant de locis, ſcilicet deſertis, & deuaſtent terram, & obtineant orbem, & regiones in introitu pacis.* Ille enim exercituum Deus, qui nos gentiles in perfidam ſynagogam armauit, & Chriſti regnum nobis dedit æternum, in virga furoris ſui; quaſi eum redemptionis pœniteat,

nitear, apparet nos viſitare, in ianuis ſtare, vt ad latrones, ideſt Turcas ſe conuertat, & improperantes licet, in regnum manuducat æternum, cum nos filij electi, gens ſancta, regale Sacerdotium, populus acquiſitionis, vocantem ſpernimus, ſigna dantem illudimus, non morienti, nec reſurgenti credimus. *Deus auerte*
*Diodor. Sicul. l. 16. Biblioth.* *iram tuam à nobis*. Ne vt quondàm Tyrij ſimus opprobrium vicinis noſtris; ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu no-
XVII. ſtro ſunt. Ab Alexandro cum obſiderentur Macedone, & Ciuium quidam viſum huiuſmodi ſibi apparuiſſe, narraret, tanquàm Apollo dixiſſet, Tytiam vrbem ſibi deſerendam eſſe, catenas aureas Apollinis ſigno iniecerunt: ità impedimentum, non amplius ex vrbe poſſe eum demigrare cenſentes: oh Tyriorum dementia, pro precibus, & hoſtijs Deum vincire catenis. Deorũ claudicauit iuſtitia, cum impoſitis Tyriorum collo catenis, Alexandro ſunt humiliati mancipia: brutis par erat ſeruire homines: qui hominibus tentarunt ſeruire Deos.
XVIII. Quem latet à Deorum ſupplicationibus arma initianda, vt eorundem manu humanæ ſiſtant viciſſitudines? Firmiſſimam vrbem haud militum exhibent armatæ phalanges,
*Plut. in Apophth.* ſed iuſtitia. Leonem percunctare Eurycratidem, quanam in vrbe homo tutiſſimè ha-
XIX. bitaret? hoſtes irrideret palantes? Vbi plurimum (reſpondet) haberet iuſtitia virium, minimum iniuſtitia. Nihil enim prodeſt mutos munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis. Tunc ciuitatis porta munita eſſe poterit; ſi prius in nobis iuſtitiæ portæ muniantur. Hæc Romanam exaltauit Rempublicam, hæc gentili populo Deum
XX. tutorem dedit, qui ſub larua Deorum, iuxta illud *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*, non ſemel pro Idolatris pugnaſſe creditur; ne Romani immeritam, & ingloriam iuſtitiam, quam humanam dicere nefas, reportarent. Vtinam Chriſtiana fides, & Gentilium antiqui mores amicè coirent. Si de ipſis dicitur, vt quod vi cœperant, & iniuria, religione, atque iuſtitia, gubernarent: quid foret de illa domo, quam ſibi æterna ædificauit Sapientia, extruxit columnas ſeptem, ideſt ſeptem contignamenta virtutum; ni ibi ve-

luti in propria domo vitia diuerſarentur nefaria. Infelices nos, qui tantum diſplicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira deſæuiat. Noſtris piaculis barbari fortes ſunt. Noſtris noxijs Romanus debellatur exercitus. Ecquando inière iuſtitia, & iniuſtitia fœdus, vt ſceleri ius datum canerent? Parum iuuat exercitus, cum ſcelera aduerſantur. Omnipotentia cum ipſa iniuſtos armare nequit, & ſibi aduerſos protegere. Cum profugus vagaretur in Orbe, *Geneſ. 4*
Cain, *tremens* latitabat, & *gemens* (vt Septuaginta legunt) licet impreſsâ notâ veluti imperiali obarmaſſet teſſerâ Iuſtitia Superna: *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum*. Quid igitur timet, quem Omnipotentia defendit? prudens timebat Cain, cum interiori defedaretur peccato, licet exteriori muniretur ſigno. Parum prodeſt prouidentia cæleſtis, cum ſcelera graſſantur terreſtria. *Eijcior* (inquit Cain) *à conſpectu tuo, & conſcientia* *Hieron.*
*ſceleris tremebundus, lucem ipſam ferre non ſuſtinens abſcondar, vt latitem*. Valentior enim eſt interna malitia, vt prodat, quàm externum ſignum, vt muniat. Et quidem imprudentem non fuiſſe cogitationem caſus oſtendit. Ciuitatem ædificat, qua ſe tueatur, & paulò poſt ſagittâ transfigitur, iaculo à Lamecho transfoditur. Nec ciuitatis ſeruare potuit cuſtodia, quem iaculis delicta deuorauerant. Dicat Sultanus Amuratus, quomo- *Bertell.*
dò Turcarum leuauerit ſæuiente peſtilentia turmas, quæ penè totum attriuerat mili- XXII.
tem? vitia non venas ſecuit: Sodomitas, blaſphœmos, polygamos amandauit: ita miles conualuit, cum pietas alimenta peſtilentiæ ſurripuit. Hoc chalybe expoliuntur arma: hiſce loricis cataphractæ phalanges in Terra, in Cœlo victrices exultant. Altercantem non prætereamus Hieronymum, & *Iona c. 1*
nautas illos, quorum nauem profugus à fa- XXIII.
cie Domini Ionas conſcenderat, vt Tharſim appelleret, ne peteret Niniuem: Dominus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna, vt nauis periclitaretur. Periclitatur nauis (gloſſat Hieronymus) quæ periclitantem ſuſceperat, vento concitantur maria, in tranquillitate tempeſtas oritur: nihil Deo auerſante ſecu-

rum eſt. Timebant nautæ, arbitrantes nauem ſolito onere prægrauari. Inde mare piaculi agitatum turbine, mercium tentant placare naufragio. Sed fortiùs intumeſcente mare, nautæ onera omnia in aquas proijciunt, vt magnitudinem fluctuum nauis leuior tranſiliret. Nec adhuc mare quieſcit; ſed fluctu ſæuiente, quia lacerata puppis immergitur vndis: ipſi vaſa, ſarcinas, margaritas exhibent tandem, quaſi parenti filias reſtituerent; vt tranquillitatem maris, quam ponderis magnitudine parare non poterant, inæſtimabilis pretij qualitate redimerent. Nec ceſſauit mare à feruore ſuo, imò munera dedignatum oblata, in littore euomuit. Vſque dum proreta, cuius erat timidos conſolari vectores, videns quod vix eminèret æquore malus, Ionam dormientem excitat, & arguens ſecuritatis improuidæ, commonet, vt cuius eſſet commune periculum, communis eſſet oratio. Clamabant itaque, vnuſquiſque ad Deum ſuum, vlulatu rumpebant æthera, quia iam puppis mergeretur procellis. Hiſce clamoribus excitatus Hieronymus non minori in naufragos ira feruere videtur, quàm vndis mare æſtuaret. Dementes nautæ (improperatur Hieronymus) cœcus proreta? non videtis, haud mercium pondere, ſed peccati nauem procumbere. Vultis rabiem comprimere maris, Ionam proijcite, magna erit tranquillitas. Inſpicite mare, Creatoris iram ſuo feruore teſtari: in fugitiuum Prophetam ſæuire naufragium. Quid prodeſt mercium iactus, cum diuini pondus premit Imperij? *Non intelligunt* (Concludit Hieronymus) *totum pondus eſſe Prophetæ fugitiui*. Cognouerunt tandem, & cum Ionam miſiſſent in mare, ſtetit mare à commotione ſua. Stetit mare, quia inuenerat quem quærebat: Veluti ſi quis fugitiuum inſequens, concito pergat gradu, cum aſſequitur, currere deſtitit; & tenens, quem apprehendit, illudit. Ita & mare, quod Iona iraſcebatur abſente, modo in vinculis captiuum ducens, gaudet: ſubſiſtunt vndæ, vaſto fugiunt æthere nimbi; omniſque repente recèdit flatus. Collectæ fugiunt nubes, Solemq; reducunt. Cumq; prius ſtrideret Aquilone procella, nunc placidi curſum dant puppibus auſtri. Emergunt vaſa, ſupernatant dolia, & vnius Ionę placatum munere mare, irarum reſonat cauſas. *Miſerunt Ionam in mare, & ceſſauit mare à feruore ſuo*. Reges erudimini Principes, peccatorum procumbit onere regimen, & hoſtium, Barbarorumque turbines vrgent; nec alleuiabitis militum donis, annona frumenti, & victimis innocentium. Nocentium potiùs libate hoſtias; fœnora, iniurias, adulteria, piacula ſoluite, vtrumq; tunc clara Oceanum rota ſpectabit Imperij. *Miſerunt Ionam in mare, & ceſſauit mare à feruore ſuo*. De vno ſolicitus in-
quirat bellator (aiebat Achior ad Holo- *Iudith cap.5.*
fernem) *an hoſtis receſſerit à cultu Domi- XXIV*
*ni Dei ſui*. Vnum exercituum formides Deum, vt ad Alexandrum Germani, à quo interrogati, poſtquàm omnes Danubij accolas ſuo ſubiugaſſet imperio; quidnam in rebus humanis præ cæteris extimeſcerent? (exiſtimans nominis ſui famam ſuper omnia illis terribilem, & for-
midoloſam videri) reſponderunt: *Nobis* XXV.
*hoc formidoloſum primò, ne fortè Cælum aliquandò in nos ruat*: obliquè Alexandrum fortunæ edocentes viciſſitudinem; ea enim, quæ Macedonis polluta adulterio, Alexandro orbem obtulerat, orbe ipſo reuoluta, iam nouos aucupabatur amaſios. Stare ipſa cum nequeat, tu ipſam firmabis rotantem, ſi inter milita-
res copias, Numina delecta habeas. Bel- XXVI
licas tubas, ex eo habes cur in manu Sa-
cerdotum Ioſues dederit, quorum eſſet *Ioſues cap.6.*
claſſicum canere, ære ciere viros, martemque accendere cantu. Homines cum non ſoli, ſed & Deus excitandus eſſet ad arma, conueniens erat vt tibicinum officia gererent Sacerdotes, & bucinæ clangorem exordirentur ab Arca Dei, hoc eſt Templo, vbi viuente Synagoga, quieuerat gloria Domini; nunc Eccleſia, quæ
eſt Domus Dei, vnde *Dominus dedit vo- Pſal.45.*
*cem ſuam, & mota eſt terra: conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna*. Romanis, qui ab Hebræis plurima mutuati ſunt Religionis exempla, Hannibali,

An-

XXVII Antioco, Perſeo Macedonũm Regi Deos
primùm, deinde militem cum mos eſſet
opponere; Romanus ipſe Senatus non
audebat bellum indicere, priuſquàm bel-
*Valer. Max. l.1. c. 1. n.2.* li cauſam Pontifex apptobaret. Et cum
vrgenti Conſuli aduerſus Africanos ar-
ma dirigere, obſtaret Pontifex, *poſt bre-
ue diſſidium religioni tandem ſummum ceſ-
ſit imperium*. Hanc ſi irrideas, illuſus
cades, & victus; vt de P. Claudio Pul-
*Lib. 2. c. 2.* chro Conſule, legimus apud Florum,
qui *non ab hoſtibus, ſed à Dijs ipſis ſu-*
XXVIII. *peratus eſt, quorum auſpicia contempſe-
rat, ibi ſtatim claſſe demerſa, vbi ille
præcipitari pullos iuſſerat, quod pugnare ab
his vetaretur*, Ipſe autem per iocum Deos
irridèret. Cum enim cauea liberati pul-
li non paſcerentur, mergi eos in aquam
iuſſit, vt biberent, quandò comedere
XXIX. nollent. Hic ille Claudius, cuius procax ſu-
perbaq; ſoror, quæ à ſpectaculo ludorum
reuerſa, cum à confluente hominum pre-
meretur turba, optauit fratrem ſuum vi-
uere, & iterum claſſem ducere, vt vrbem
à tanta hominum multitudine exhauriret.
Religionem itaque non ſolum eſſe oportet,
ſed & Religioſus exigeris; minimè enim
fortunæ rotam aſcendes, ni Deus gradum
firmet, brachium extendat. Iacobi Patriar-
XXX. chæ myſticam Scalam intuere, ſuper quam
aſcendunt, & deſcendunt Angeli, hoc
eſt Dij Terræ, Pontifices, Reges, &
Principes: Dominus eſt innixus Scalæ,
*& Dominum innixum Scalæ*, veluti pro-
*Geneſ. 28.* uidentiæ Auctorem, qui Fortunæ ipſi
Fatum imponat. Innixum Scalæ, quia ne-
mo aſcendit, niſi Deus ipſe Omnipoten-
tiæ brachio Scalam ſuſtentet, manum por-
rigat, ſurſum erigat, eodemque tem-
pore ſuperbos illinc præcipitet. *Inni-
xum ſcalæ*, vt homines ſuo prouocaret
aſpectu, non enim ſub ſcala, vel re-
trò ſcalam, ſed in cacumine; veluti ſui
cauſam ageret in eos, qui Fortunam in-
uocant. Quaſi diceret Dominus: Ego For-
tunæ Fatum:, ego per quem omnia iuben-
tur ſtare Decreto. Vis hoſtium præclaros
ducere triumphos? en teſſera militaris,
(in cacumine Scalæ noui Teſtamenti al-
XXXI. loquitur Magno Conſtantino Chriſtus)
*In hoc ſigno vinces*, ✠ & Crucis vexilla
aere volitantia diffundit. In hoc ſigno ✠
non tam M. Conſtantinus redijt ſupe-
rato victor ab hoſte Licino, Maximi- *Curtius*
no, Maxentio; quàm Honorij, Theo- *de Cruce*
doſij, Carolingij, Henrici, Othones,
non alia armata intulere ſigna in hoſtem, ✠
quàm Crucem, Clauos, & Lanceam.
Bella initurus M. Theodoſius Imperat. hæc XXXII
tulit arma, in dextera Crucem, in ſiniſtra
Euangeliorum librum: Sub quibus vexil-
lis Philippum, & Ioannem centuriatos ha-
buit Apoſtolos. Rudolphum nè præte- *Vernuleius de*
reas Auſtriacum, cum Aquiſgrani Im- *virtut.*
perij Diadema ſuſciperet, Sceptrumque *domus Auſtriæ*
in promptu non eſſet, dum miniſtri *cap.2.*
properarent in ſceptra, ille ex aris Cru-
cem arripiens, dignam ſe edidit vo-
cèm. *Hoc ſignum eſt*, ✠ *quo genus homi-* XXXIII.
*num, & nos ſumus redempti, hoc ego
Sceptro* ✠ *in omnes mihi, & meo infidos
vtar Imperio*. Sed quid longe permit-
to Chriſtianiſſimos Reges? ſepoſiti pro
Coronide, penu pietatis aperiant. *Clo-* *Gaguin.*
*doueus Crotildem cum haberet vxorem Chri-* XXXIV.
*ſti documenta ſequentem, ipſe verò genti-
lis cum ſedulò admoneretur Deos non co-
lere; ille autem veteris obſeruantiæ in-
ſuetus; ſe maiorum traditiones relicturum
negaret. Interim Crotildis filium enixa
eſt, cui vocabulum Clodomiro fuit. Qui
chriſtiano more baptiſmo ablutus, intra
paucos dies moritur. Huius interitum Rex
in Religionem vxoris transfert: infan-
tem ab iratis Dijs abſumptum, quia il-
lum Chriſto ſuo Regina dedicaſſet. Gra-
uida iterum Crotilde effecta, editum ite-
rum infantem Sacris Chriſtianis initiat.
Moxque vt eum morbo laborantem Rex
accepit: vxori Religionem improperat,
Deorum ſuorum ſcilicet Maieſtati inimi-
cam. Regina aduersùs Regis querelas pa-
tientiam, ſpemque adhibens, ægrotanti fi-
lio ſalutem Dei benignitate impetrauit. Per-
tinaci autem in errore Clodoueo bellum in
Alemannos inſtauratur. Conſtitutis in con-
ſpectu vtrinque exercitibus manus conſerunt.
Pugnatum cum diù eſſet: Francis cedenti-
bus timet ſibi Clodoueus: Cœlumque ſuſpe-
ctans. Deus (inquit) quem Crotildis religioſè
vene-*

*veneratur, audi. Si vicero, fide te perpetua
colam. Vix preces finierat Rex: ecce alacres
Francos prælium redintegrare conſpicatur.
Quibus animum ipſe quoque adijciens, Rege
Alemanno perempto, victoria potitus eſt, &
Alemannis lex poſita. Victorem etiam credu-
lum Chriſto Regem Vedaſtus, qui Tulli aderat,
& qui poſtea Attrebati pontificatum admini-
ſtrauit, ſecutus eſt. Cui Rex credulitatis, &
fidei ſuæ rationem enarrauit. Crotildis creden-
ti Clodoueo gratulata Remigium Pontificem ni-
hil morata conuenit; atque ad Clodoueum in-
troducit, quem ad ſe admiſſum Rex diligenter
audit de fide, & Chriſti religione diſſerentem.
Dies abluendo regi indicitur: parato ingenti or-
natu lauacro, cum ſacroſanctum Oleum, quo
liniri ritu chriſtiano ablui ſolent: ſiue mini-
ſtrorum incuria, ſiue hoc agente Deo actum
eſſet: ecce de ſuperis allata Columba phialam,
quam ampullam vocant, odoratiſſimi liquoris
oppletam ad manum Rhemigij detulit. Credi-
tum eſt ſpiritus Dei miniſterio id perpetratum
eſſe. Eo liquore hic Clodoueus primùm: poſteri
deinceps Francorum Reges hactenus regnum
adminiſtraturi ſacrantur. Miniſterio ablu-
tionis expleto, Clodoueus ad circumſtantem
nobilitatem, populumque breui oratione habita
ſuadet aſpernari falſam Deorum religionem,
& eius fidem profiteri, qui Chriſtus appellaba-
tur: & Dei filius eſſet, quo auctore hoſtem Ale-
mannum inquit ſuperauimus. Regis oratione
perculſis Francorum animis, Chriſtum profeſſi
abluti ſunt. Clodoueus vt profeſſam fidem inſi-
gni aliquo opere illuſtraret: Templum in colle
XXXV Leuititio, qui nunc Genoueſe appellatur Pariſij
à fundamentis extructum Diuis Apoſtolis Pe-
tro, & Paulo dicat. Non præteribo huic loco
adijcere, quod nullo certo Auctore, ſed perſeue-
rante ad hanc meam ætatem famà vulgatum
accepi. Fuiſſe Regibus Francis buffones tris
XXXVI. nobilitatis quidem inſigne: ſed Clodoueo Chri-
ſtianis ſacris initiato demiſſum Cælo eſſe id,
quod nunc Reges geſtant Lilia aurea, quibus
ſubeſt Cæli ſereni color, quem* aſurum *Franci
dicunt. Ad hanc rem mihi adſtipulatur Diui
Bartholomæi Monaſterium, quod Gaudium
Vallis appellatur: vbi fons huius miraculi te-
ſtis ab incolis oſtenditur. Traditum quoque eſt
pannum ſericeum rubrum inſtar ſigni milita-
ris quadratum miro fulgore ſplendentem diui-
nitus eſſe exceptum; quo in expeditionibus con-
tra fidei Chriſtianæ hoſtes pro ſigno Franci vte-
rentur: huicque vexillo nomen auri flammam* XXXVII.
*hactenus permanſiſſe: diuq; à Dionyſianis cæ-
nobitis aſſeruatam. Sed abutentibus ſigno ad-
uerſus Chriſticolas regibus illud euanuiſſe.*

His poſitis, quis inficiabitur in ſimilitu-
dinem Iſrael ſpeciali prouidentia Francorũ
Regnum non fuiſſe inſtitutum; vt in lege
gratiæ Domus Franciæ eſſet vinea electa, &
ſpecioſiſſima? Ne dubites, ad illud ſanctum
Oleum lectorem prouoco, vno apparens XXXVIII.
tempore, quo coronandi ſunt reges, *vt eſt
notorium* (ſcribit Caſſaneus) *in tota Gal-* P.5. in Catalog.
*lia*. Ne percurras virtutem curandi mor- Gloria
bum, per ſolam manuum impoſitionem, qui Mundi.
Gallicè dicitur *Les eſcrouelles*, Italicè *Le ſcro-
phole*.

Vel cum Eminentiſſimo Carolo Borro-
meo, cuius ſymbolus, ceruus ſerpentibus
circumligatus currebat ad fontes aquarum
ſub lemmate *Vna ſalus*. Vel cum Claudia
Rangonia, cuius ſymbolus *flamma*: ſub lem-
mate *deorſum numquam*. Vel cum Irene
Caſtriota Signani Principiſſa, cuius ſymbo-
lus, Aquila verſus Solem; ſub lemmate, *Vn-
de gloria, vnde lætitia*. Si maris ſymbolo re-
gna annuimus; Piſcatorum verò, Principes,
& Dynaſtas, en ſacri piſcatores, quorum re-
tibus irretitus eſt orbis, *per totam noctem*
(inquiunt) *laborantes nihil cepimus, in ver-* 5. Lucæ.
*bo autem tuo laxabo rete*. Et confeſtim præ-
da refertum habent. Quid mirum? lætitia
exuberat, vbi propendit Deitas. Aſsyrios,
Medos, Perſas minime ſuperbiat militum
numero, calliditate ingenij, aut virorum
robore Cæſar anteiſſe Romanus; nam feli-
citas Romano contigit imperio, cum Ver-
bum factum eſt Caro, Deus in terra diuerſa-
retur vt Homo, qui cum Ciuis gloriaretur
Romanus; voluit Romanorum iura totius
Orbis rependere triumpho: vt condito ab
Orbe vna in vrbe ſolus Cæſar Auguſtus im-
perare potuerit, *vt deſcriberetur vniuerſus* Lucæ 2.
*Orbis*. Vtinam, & Chriſtianorum, vt Gen-
tium Principes à Deo cognoſcerent incre-
menta regnorum. *Primùm Deorum beneficio*
(aiebat Tullus Rex Romanorum) *deinde im-* Dionyſ.
*peratorijs artibus hæc comparaui*. Hoc voto, Halic. lib.3.
Perſarum in acie Solis præcedebat ſimula-

crum,

crum, vt frons eſſet exercitus, & primum
XLIII. duceret agmen ille Deus, cuius attributum
(*exercituum Deus*) cætera, altiſſima quæ-
uis, poſt ſe relinquit attributa. Sciſcitanti
XLIV. cur armata Gentiles venerarentur Idola?
quia Deorum cura (dicas) tota ferè expedi-
retur in caſtris: vbi anhelantes fatigant, ma-
nus conſerunt, Dij quandoque vulnera paſſi,
quibus de Republica benemeriti fulgeant.
Eodem propterea die, quo victus eſt Perſes
*Florus l.2.c.12.* Macedonicus, *duos iuuenes candidis equis*
XLV. *apud Iuturnæ lacum, puluerem, & cruorem ab-
luebant. Hi nuntiauère Caſtorem, & Pollu-
cem fuiſſe, creditum vulgo, quod gemini fuiſ-
ſent: interfuiſſe bello, quod ſanguine maderent:
à Macedonia venirent, quod adhuc anhela-
rent.* Sic Tiguniæ victoriæ nuncium, non
per homines vt ſolebat, populus accepit Ro-
manus, ſed per ipſos *ſi credere fas eſt, Deos.*
*Flor. l. 3.c.3.* *Quippe eodem die, quo geſta res eſt, viſi prò æde
Caſtoris, & Pollucis iuuenes laureati Prætori
litteras dare.* Solliciti non tam Romano-
XLVI. rum, quam Deorum reſonare triumphos;
quibus eſt imperij reſeruata cuſtodia.
Quemadmodum fertur olim Romæ audita
vox ſilentio noctis clarior humana voce, quę
*Cicero 2. de Nat. Deor.* iubèret, Magiſtratibus nunciare, & Gallos
venire, ac vt prouiderent, ne Roma capere-
tur à Gallis. Quæ igitur ferax, & tam bar-
bara natio, quæ ampla inimicorum ſpolia,
Deorum neget ſanguine parta? *Fatis debe-
*Lib.1.c.4.* batur* (inquit Liuius) *tanta vrbis origo, maxi-
mique ſecundum Deorum opes imperij princi-
XLVII. pium.* Agnouit Romulus, & Veientium
opima de Rege ſpolia Feretrio Ioui manibus
ſuis reportauit, ſacrum dedicauit. Cum verò
per virginem proditâ Sabinis portâ, acrox
in ipſo foro pugna vrgèret, templi pretio le-
gitur Romulus cum Ioue pactus, vt fœdam
*Flor.lib.1.c.1.* ſuorum fugam ſiſteret. *Hic templum eſto*
XLVIII (inquit) *Stator Iupiter.* Non Stator dictus,
quia ſic diceretur etiam ante de Sabinis re-
portatam victoriam, ſed illa in acie hoc Io-
ui nomen à Romulo impoſitum, vt poſteà
Iouis Statoris ſtatua eo in templo, quod Ro-
mulus ſacrauit, erecta conſiſteret, quum cæ-
teræ ſederent, & meritò: quia in Samnitico
bello totum belli pondus Iupiter ſibi delege-
rat: licet non bis & cum alijs Dijs mos fuerit
Romano populo templorum pretio, ho-
ſtium paciſci triumphos; vt in Bello Latino
egit Poſthumius Romanorum Dictator. *Ea
demum* (Florus) *atrocitas fuit prælij, vt inter- Lib.1.c.11.*
*fuiſſe ſpectaculo Deos fama tradiderit. Duos in
candidis equis, Caſtorem atque Pollucem nemo
dubitauit. Itaque & Imperator veneratus eſt,
nactuſque victoriam templa promittit; & red-
didit, ſane quaſi commilitonibus Dijs ſtipen-
dium.* Quod verum ſi ſermonis ſpectes ele-
gantiam, non pietatem. Deorum trophæa XLIX.
ſunt, non ſtipendia: ni manibus noſtris hoſtiũ
debeantur, & ſuo audeant imperio ſuperbire
mortales. *Iſta trophæa* (aiebat Ceſtius apud
Athenienſes, cum deliberarent, an Trophæa *Seneca ſuaſor.*
Perſica tollant, Xerſe minante rediturum 5.
ſe, niſi tollerentur) *non ſunt Athenienſium:
Deorum ſunt. Illorum bellum fuit. Illos Xer-
ſes vinculis, illos ſagittis perſequebatur* Deo-
rum & hominum, non in homines homi-
num arma ſunt, vt aiebat Suecorum incly- L.
tus Rex Guſtauus, qui ſemper victor cum
Germaniam in vltimum adduxiſſet diſcri-
men, ſemel tandem victus victorem non
habuit humanum, qui auderet Regis diui-
dere ſpolia. Cuius enim ictu occubuerit,
latère fortuna voluit (vt notauit Venetorum
ille Męcenas Baptiſta Nanius,) quia tanti Re- *Lib. 9. Hiſtor.*
gis glorioſum ſatagebat occaſum, ne grega- *ſal. An.*
rius miles poſſet inuicti regis vſurpare *1632.*
triumphum. Vel non humano ceciderit
gladio, vt iam de ſeipſo præluderat, priuſ-
quam congrederentur acies, dicens ſe in are-
nam deſcendere, ne gloriæ iacturam faceret,
cæterum iram imminere Deorum, vt homo
militibus apparèret, quem venerabantur vt
Deum. Inter Deum itaq; & hominem ia-
ctatur alea, cum arma tractantur. In Deum
ſi quis audet, inconciliato numine moueat.

*FINIS.*

INDEX